Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Heinrich Majus

Io. Henrici Maii Fil. Graecae Orientalivmq. Lingvarvm In Acad. Giessena Professoris Pvbl. Observationes Sacrae Qvibvs Diversa Vtrivsqve Testamenti Loca Ex Lingvarvm Indole Et Antiqvitatibvs Potissimvm Illvstrantvr

Liber Secvndvs

Francofvrti Ad Moenvm: Apvd Samvel. Tobiam Hockervm, 1713

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046377140

Band (Druck) Freier Zugang

Fc_ 4405. 1-3.
(I 2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046377140/phys_0002
DFG

Contenta.

1. Russ Accentual. Hebr. usus
2. Josua Arndig de frequenti Comunione
3. Joh. Henrici Magi Observat. sacrae.
4. ej. liber secundus,
5. ej. liber tertius
6. ej. liber quartus.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046377140/phys_0003
DFG

IO. HENRICI MAII F.
GRAECAE ORIENTALIVMQ. LINGVA
RVM IN ACAD. GIESSENA
PROFESSOR. PVBLICI

OBSERVATIONES SACRAE

QVIBVS

DIVERSA VTRIVSQVE

TESTAMENTI LOCA

EX LINGVARVM INDOLE

ET ANTIQVITATIBVS

POTISSIMVM ILLVSTRANTVR.

LIBER SECVNDVS.



FRANCOFVRTI AD MOENVM
APVD SAMVEL. TOBIAM HOCKERVM.
ANNO M D CC XIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1046377140/phys_0005
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046377140/phys_0006
DFG

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
IO. HENRICVS MAIVS F.

NEque multa, Lector optime, Te scire volo, neque nihil. Secundum, vt vides, obseruationum sacrarum Tibi offero librum, promissi mei bene memor. Sequitur ille prioris rationem per omnia, pari locorum gaudet numero, disciplinae Grammaticae inauditiunculas quasdam antiquorumque rituum illustramenta complectens. In addendorum qualicunque collectione bis animaduersiones proprias sub censuram vocare simul & emendare visum fuit. Non enim videmus manticae, quid in tergo est. Et discipulus prioris posterior est dies. Inuolucra sensuum, verborum volumina, vocumque turbas declinaui, contentus, simplici atque incomta breuitatis suauitate mentem aperuisse. Rectene an secus fecerim, Tuo constabit testimonio. Non sane blan-

dior mihi, consecuturam praesentem opellam adplaudentes, quia nec mihi arridet ipsi. Quarta omnino luna natus videri posset hic liber, & foetus praematurus, quem intra praecordia fouere, vsque dum ad vigorem peruenire queat, temporis iniquitas haud permisit. Iam & pleraeque harum obseruationum intra canos Hassiae montes,&

-- -- *viridi nutantes vertice siluas*,

quo nos vtplurimum recepimus,conceptae, quid mirum, si rus ac stiuam oleant? Itaque non aegre, spero, feres, quod agrestia, vltro oblata, & sub manu quasi nata adposuerimus,in quibus acumen exercuimus nostrum. Nec tamen vel praemansum sumsimus cibum, vel aliorum vigiliis suauiter indormiuimus,inhonestum existimantes,industriam ingeniumque negligere proprium. Quod si leuia isthaec & nugatoria Tuae humanitati non ingrata fuisse intellexero, grati vicissim animi loco tertiam posthac partem, vbi vitam cum valetudine secunda donauerit Numen, vsibus Tuis consecrabo. Nunc Te optime valere iubeo, id ad extremum rogans, velis de labore nostro, fauente perpetuo erectaque mente iudicare.

Scrib. Giessae a. d. X. KL. Septembr.
clɔ Iɔ cc xiii.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1046377140/phys_0008
DFG

EVENVS.

Πολλοῖς ἀντιλέγειν μὲν ἔθος περὶ παντὸς ὁμοίως.
Ὀρθῶς δ' ἀντιλέγειν οὐκέτι τοῦτ' ἐν ἔθει.
Καὶ πρὸς μὲν τούτους ἀρκεῖ λόγος ὡς ὁ παλαιὸς,
Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστὶν, ἐμοὶ δὲ τάδε.

INDEX

Locorum illustratorum, ad ordinem librorum Biblicorum adornatus.

		Pag.
GENES.	CAP. II. 24.	48.
	III. 6.	73.
	XXII. 13.	112.
	XXXIX. 12.	34.
EXODI	II. 3.	83.
	XXII. 27.	90.
NVMEROR.	XI. 5.	138.
DEVTERON.	XXVI. 5.	66.
I. SAMVEL.	XVII. 44.	62.
IESAIAE	VII. 15.	44.
	XII. 3.	77.
	XXIII. 8.	25.
	XLII. 3.	16.
IEREMIAE	XLVI. 16.	95.
HOSEAE	VIII. 6.	130.
MICHAE	VII. 19.	30.
PSAL.	XXIV. 7.	52.
	XL. 7.	57.
	LXVIII. 14.	106.
	CXXVII. 4. 5.	38.
	CXXXIX. 9.	146.
PROVERB.	XXIII. 31.	8.
IOBI	III. 8.	1.

CAN-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046377140/phys_0011
DFG

CANTIC. CAP.	I. 2.	Pag. 123.
NEHEM.	IX. 2.	117.
MATTH.	X. 29.	40.
	XXIV. 51.	27.
	XXVII. 5.	63.
LVCAE	III. 14.	75.
	22.	20.
	23.	94.
	X. 42.	36.
	XII. 21.	13.
	XIII. 32.	69.
	XXIV. 1.	50.
IOANNIS	I. 20.	54.
	III. 22.	104.
ACTOR.	III. 21.	134.
	XVI. 40.	3.
EPIST. AD ROM.	VIII. 35.	126.
I. AD CORINTH.	XV. 29.	111.
AD GALAT.	V. 15.	60.
AD PHILIPP.	II. 8.	45.
	III. 5.	116.
I. AD TIMOTH.	II. 9.	148.
II. AD TIMOTH.	III. 8.	32.
AD TITVM	I. 12.	89.
AD PHILEM.	ỽ. 20.	81.
AD EBRAEOS	X. 5.	57.
IACOBI	I. 15.	143.
I. PETRI	III. 7.	120.

IOBI

IOBI III. 8.

יקבהו אוררי יום׃

Exsecrentur illam (noctem) *qui maledicunt diei.*

NOndum licuit aliquam ex interpretibus haurire expositionem, quae & condigna esset Arabicae facundiae magniloquentia, & veritatis cupidam mentem solido repleret cibo. Iobum de certis hominibus, reapse male precantibus diei, hanc loquendi rationem sumsisse arbitror, sed adeo nunc obscuris, vt difficulter admodum vestigia eorum indagare concedatur. Apharantas puto, Nicolao Damasceno apud *Stobaeum* Serm. XLII. pag. 304. & huic fortasse soli, quantum ad praesens negotium spectat, memoratos, atque in hanc sententiam breuiter depictos: Ἀφάραντες Λίβυες ὀνόμαλα ἐκ ἔχουσιν. ἡλίῳ δὲ ἀνίσχοντι λοιδορεῖνται, ὡς πολλὰ κακὰ φήνανti.

Apharantes Libyes nominibus carent ; solem orientem exsecrantur, tanquam multa mala in lucem proferentem. Quos ego populos cum Ptolomaei Sappharitis, a metropoli Sapphar, (cuius mentionem iniiciunt veterum plures,) ita dictis, eosdem suspicor. Iam diuinare in promtu est, cur de his loqui maluerit diuinus scriptor, quam de aliis. Praeterquam enim quod impium istud stolidumque factum isti populo peculiare fuerit, satis tunc temporis per terrarum orbem ea de causa noto, erat insuper Iobo vicinus. Apharantes quippe Felicem incolebant Arabiam, vti Iobus Desertam. Exputare nequeo, quare ad Libyas reiecerit eam gentem Damascenus, nisi aut locum in mendo iacere cogitauerimus, aut ab ipso Nicolao admissum errorem, (quod tamen de viro tam insigni, Oratore, Musico, Mathematico, simul etiam Philosopho Peripatetico, & Augusti Caesaris amico, doctoque ex patre nato, non temere existimandum) aut ob frequentia mutuaque Arabum cum Africanis commercia, de quibus euoluendus est magnus ille naturae antistes *Plinius* VI. 23. aut quacunque de causa, latente adhuc, contigisse crediderimus. Ad extremum

mum haud pigebit ex adducto Nicolai testimonio addiscere, in Arriani *Aphar* nequaquam excidisse litteram *S.* quae magnorum fuit coniectura virorum, *Sam. Bocharti* in Phaleg II. 30. p. 164. itemque *Christoph. Cellarii* in notitia orbis antiqui Tomo II. Lib. III. cap. 14. qui maxima ceteroquin cum laude pariter ac diligentia veterem excusserunt Geographiam. Ea vero, quae nos heic proposuimus, num recte se habeant, iudicent, rogo, moneantque, qui sautricem habent Mineruam.

ACTOR. XVI. 40.

Εἰσῆλθον εἰς τὴν Λυδίαν.

Ingressi sunt ad Lydiam.

Elegantissimus est dicendi modus, quo verbum εἰσελθεῖν cum accusatiuo personae, intercedente praepositione εἰς, connectitur. Sic enim *Aristophanes* in Pluto p. m. 25.

ἢν μὲν γὰρ ΕΙΣ ΦΕΙΔΩΝΟΝ ΕΙΣΕΛΘΩΝ τύχω.

Si forte auarum adire contigerit. Et p. 26.

ἢν δ' ΕΙΣ ΠΑΡΑΠΛΗΓ' ΑΝΘΡΩΠΟΝ ΕΙΣΕΛΘΩΝ τύχω

Sin ad prodigum hominem accessero. Sic

 pariter

pariter *Lysias* oratione secunda, non longe ab initio, p. m. 24. ΕΙΣ ΥΜΑΣ δ' ΕΙΣΕΛΘΩΝ ἐλπίζω τῶν δικαίων τεύξεσθαι. *Dum autem vos conuenio, spero me, quod ius est, consecuturum.* Et orat. XVIII. p. 303. τῇ δὲ προτεραίᾳ ἢ ἀνήγετο, ΕΙΣΕΛΘΩΝ ΕΙΣ ΤΟΝ ΠΑΤΕΡΑ ΤΟΝ ΕΜΟΝ, *pridie vero quam solueret, adiit patrem meum.* Iterum Orat. XXXIII. ineunte. οὐκ ἄν ποτε ΕΙΣ ΥΜΑΣ ΕΙΣΕΛΘΕΙΝ τούτους εἴασα. *nunquam his ad vos accedere permisissem.* Neque amplius in Lysia reperitur; ex quo secundum duntaxat locum pro firmanda locutione nostra adduxerunt *Budaeus, H. Stephanus, Erasmus Schmidius*, alii. Aliter non locutus est *Antiphon* orat. de Herodis caede pag. 111. καὶ διετείναντο αὐτὸν μὴ ΕΙΣΕΛΘΕΙΝ ΕΙΣ ΥΜΑΣ, *omni vi contendebant, ne ad vos veniret.* Similiter *Demosthenes* orat. pro corona p. 327. B. καὶ γραφεὶς τὸν ἀγῶνα τοῦτον παρανόμων, ΕΙΣ ΥΜΑΣ ΕΙΣΗΛΘΟΝ καὶ ἀπέφυγον. *Qua in re, dum ob violatas leges accusatus fui, in conspectum vestrum ingressus sum & absolutus.* Quid *Isaeus*? Et hic in orat. de hereditate Philoctemonis p. 449. ita fatur: ἐξῆν ἀμφισβητῆσαι Ἀθηναίων τῷ βουλομένῳ καὶ εὐθυδικίᾳ ΕΙΣΕΛΘΟΝΤΑ ΕΙΣ ΥΜΑΣ, ἔχειν τὸν κλῆρον. *Licebat cuiuis Atheniensium*

in

in ius vocare, rectaque cauſſae deductione vtenti, ad vos ire, atque ſic hereditatem obtinere. Vnde liquet, vim iſtius φράσεως eſſe, conuenire aliquem domi, vel in competente loco; quorum prius textui noſtro congruit. Neſcio itaque τὶ παθὼν exiſtimauerit Vir inſignis & linguae Graecae callidiſſimus, *Ludolphus Kuſterus* ad Ariſtoph. l. c. non ſic loqui accuratioris elegantiae Graecos, eoque ex allatis Comici locis hanc fermonis ſtructuram eliminare ſtuduerit; quum tamen eodem omnino pacto verba diſponere optimos quoscunque Auctores modo audiuerimus, & analogia inſuper eiusdem actionis motusue vocabulorum belle congruat. Namque ſimplex ἐλθεῖν εἰς τινα vſurpauit *Lyſias* orat. XXXIII. p. 543. verbis: ἐλθεῖν εἰς δύο παῖδας καὶ ἀδελφήν, *ambos adire pueros ſororemque*; cum *Dinarcho* orat. contra Philoclem p. 80. ἐτόλμησεν εἰς ὑμᾶς ἐλθεῖν, *auſus eſt veſtrum ſubire conſpectum*, atque *Iſaeo* orat. VI. p. 485. apud quem inuenies: ἐλθὼν εἰς τὴν ἐμὴν μητέρα. Legitur quoque ἥκειν εἴς τινα, quod notatum quamuis Lexicographorum plerisque, vnico tamen alteroue teſtimonio confirmandum eſt. *Antiphon* orat. cit. p. 135. ἐγὼ δ'

ἐμαυτῷ τοιοῦτον οὐδὲν ξυνειδὼς, ἥκω εἰς ὑμᾶς. *Ego vero, nihil horum mihi conscius, vos conuenio.* Quomodo & *Aesopus* fabul. Κακοπράγμων. Ἀνὴρ κακοπράγμων εἰς τὸν ἐν Δελφοῖς ἦκεν Ἀπόλλωνα. *Vir malignus, ad eum, qui Delphis est, venit Apollinem*; & *Themistocles* epist. 20. init. ἥκομεν εἰς αὐτὸν, *illum adiimus*, & *Lysias* orat. V. p. 68. ὥστε εἰς τοὺς ἠδικημένους αὐτὸς ἐπεθύμησεν ἀφικέσθαι, *voluit itaque aditum sibi parare ad eos, quos iniuria affecerat*; & orat. XXV. in limine: εἰ ταύτῃ τῇ ἐλπίδι εἰς ὑμᾶς ἥκει, *si hac spe fretus, ad vos accessit.* Non abit *Hesiodus* in scuto: ἵκετο δ' εἰς Κρείοντα, *venit ad Creontem.* Geminum est illud: εἰσιέναι εἴς τινα, obuium in *Lycurgo* aduersus Leocratem p. m. 110. οἱ μὲν γὰρ πλεῖστοι τῶν εἰς ὑμᾶς εἰσιόντων, πάντων ἀτοπώτατον ποιοῦσιν. *plurimi eorum, qui vos conueniunt, ineptissime rem instituunt.* Verba sunt *Antiphontis* l. c. p. 127. ἐὰν μὲν εἰσιόντες εἰς ὑμᾶς, ἃ βούλονται, πράσσωσι. *Si ad vos accedentes, quaecunque voluerint, fecerint.* Et mox: ἐὰν δὲ εἰσιόντες εἰς ὑμᾶς, πονηροὶ μὲν αὐτοὶ δοκῶσιν εἶναι, *sin vero ad vos euntes, ut scelesti habebuntur.* Eiusdem monetae est hoc *Lysiae* ex orat. XXIV. p. 401. τοιοῦτοι γάρ ἦσαν, ὥστε τοὺς μὲν ἡμαρτικότας ἀργύριον λαμβάνοντες ἀφιέναι, τοὺς δὲ μηδὲν ἠδικηκότας εἰς ὑμᾶς εἰσιόντες ἀπολλύναι.

Tali

Tali quippe ingenio erant, ut delinquentes accepta pecunia dimiserint, eos vero qui nil iniqui patrauerant, ad vos introeuntes, condemnarint. Offendas etiam εἰσιέναι ὥς τινα, quod secure neglexerunt lexicorum consarcinatores. Ita tamen idem ille Atticus orator, de quo verissime iudicauit Fauorinus apud *A. Gellium* II. 5. Si ex orationibus eius verbum aliquod demas mutesue, de sententia detraxeris, ita inquam, is ait orat. XXIII. p. 381. Ὑμεῖς δὲ ἐνθυμήθητε πάντες ὅτι ταῦτα λέγων, οὐδὲν ἐμὲ κατηγορεῖ μᾶλλον ἢ τῶν ἄλλων ὅσοι τέχνας ἔχουσι· οὐδὲ τῶν ὡς ἐμὲ εἰσιόντων μᾶλλον, ἢ τῶν ὡς τοὺς ἄλλους δημιουργούς. *Vos autem perpendite omnes, quod dum ista dicit, non magis me accusat, quam alios, quotquot artem exercent. Neque magis hos, qui me visitant, quam qui ad reliquos artifices accedunt.* Quamobrem locum posthac in Graecia dabimus isti elegantiae, quam cum aliis adhuc innumeris commune habet N. T. cum disertissimis scriptoribus, aditumque concedemus ad emendatam, vt ita loquar, Graecitatem, verbo εἰσέρχεσθαι, cum εἰς & quarto casu constructo, prout etiam (quod obiter addo, quia locupletissima neglexerunt Lexica) deprehendimus

εἰσελθεῖν cum ἐπὶ, adiecto casu accusandi. Ioannes in Apocalypsi XI. 11. πνεῦμα ζωῆς ἐκ τοῦ Θεοῦ εἰσῆλθεν ἐπ' αὐτούς, *Spiritus vitae a Deo intrauit in illos.* Et mirabilium scriptor *Phlegon Trallianus* cap. 1. ἔδοξεν πρῶτον εἰσελθεῖν ἐπὶ τὸν τάφον ἡμᾶς, *placuit, vt primi ingrederemur sepulcrum.* Sunt certe ἥκειν εἴς τινα, ἐισιέναι εἴς τινα, εἰσελθεῖν εἴς τινα, phrases idem denotantes, quomodo etiam *Antiphon* in oratione. semel iterumque indicata tres simul illas, de re eadem, sensu eodem, vsurpauit, vt videre est ex iis, quae in hunc locum constipauimus. Sed nunc diu satis Grammaticorum pulpitis adfixi haesimus; tempus est, vt ad amoeniora, ex interuallo bene longo, reuertamur. Quin & auaro satis factum speramus.

PROVERB. XXIII. 31.

אל תרא יין כי יתאדם׃

Ne contempleris vinum, eo quod rubrum est.

IObus Ludolfus, vir illustris, & noster quoad linguam Aethiopicam auus, (nam vti

vti Parentem, ob eruditi Habessinorum sermonis cognitionem, quam lubens impertierat, filium suum, ita me nepotem, pro maximo in vtrumque amore atque fauore, adpellare solebat) cum in Histor. Aethiop. Lib. I. cap. 15. num. 17. tum in commentario ad eandem p. 207. s. itemque in Lexico Aethiop. multis commonstrauit, radicem ארם noua significatione vestiendam, sic vt pulcerrimum quodque & formosissimum designet. Permittent, confido, nobis Ludolfiani manes, quaedam illustrandae vlterius huic sententiae inseruientia adiicere, dispari licet ingenio profecta. *Purpureum* vti Latinis non tantum dicitur, quod colore illo rubro infectum, sed generatim quouis splendente ac pulcro, siue viridis siue violaceus, siue demum alius existat; quorum illud *Ramiresius de Prado* in Pentecont. cap. 2. p. 11. 12. hoc *Vrbanus Cheuraeus*, in opusculis miscell. Gallico sermone conscriptis pag. 250. prae aliis copiose docuerunt: sic ipsum verbum ארם isthoc Romano vocabulo perquam commode efferri posse arbitror, patente hoc modo eius significatione tam ad id quod rubrum proprie est, quam quod elegans atque formosum.

mosum. Neque enim vnicus tantum color perfectam omnibus numeris absoluit pulcritudinem, etiam in humano corpore, sed plures, albus vero maxime cum rubro. Atque hac eleganti colorum mixtura Rachelis corpus fuisse imbutum, credamus *R. Salomoni ben Melech* ad Genes. XXIX. 17. Talem commendat *Lucianus* dial. Doridis & Galateae; talem in Aspasia laudat *Aelianus* Var. Hist. XII. 1. p. m. 657. in Ero *Musaeus* in carmine, quod sub eius nomine circumfertur v. 60. s. Quibus etiam coloribus delineasse video *Petrum Laurembergium* Pasicompsen suam nouam cap. 5. sed quae ipsa; si ad praesentis elegantiam seculi pingenda esset, hui! quot non quaerendae colorum varietates? Certum proinde est, pulcritudinis notionem, vbi de hominibus, & Adamo potissimum, nec non de aliis, solam rubedinis bonitatem, tanquam minus sufficientem, respuentibus, sermo est, adhiberi posse, eandemque vel postliminio in linguam Ebraeam introducendam, magno famae Ludolfianae incremento, quod & Philologorum nonnullos feciss recordamur; sed num ad praesentem adeo textum necessario extendenda sit, equidem subdubito.

Vina

Vina in Iudaea frequenti copia generoſoque ingenio & proprietate proueniebant; quandoquidem Aſapho, perito Medico, apud *Dauidem Kimchium* ad Hoſ. XIV. 8. fidem faciente, vina Libani, Chermonis, Carmelis, montium Iſraelis ac Hieroſolymorum, nec non montanorum Samariae, Caphtorenſia denique & Aegyptiaca הם עליונים על כל מיני חיין לריח ולטעם אף למרפא *omnibus aliis odore ſapore q; praeſtant, quin & ſaluberrima ſunt.* Ubi animaduertiſſe delectat, Aegyptiacum vinum inter generoſa referri, quod tamen in dubium vocauit *Petrus la Seine* de Homeri Nepenthe Part. II. non longe ab init. Perinſignis eſt magni *Conringii*, quem rerum antiquarum omnis aeui conſultiſſimum Germania non tantum, ſed & Europa vniuerſa admirata eſt, errori, vino deſtitutos omni Aegyptios exiſtimantis; cuius contrarium eſſe veriſſimum, ſolidis probat argumentis *Olaus Borrichius*, libro de Hermetis, Aegyptiorum & Chemicorum ſapientia, cap. IV. pag. 107. ſeqq. Et haec tanquam per viam monuiſſe ſufficiat. Quatuor ſunt vinis colores, albus, fuluus, ſanguineus, niger, ſcribente *Plinio* XIV. 9. e quibus duo poſtremi, non multum diſcre-

discrepantes inuicem (vti nec duo priores) ceteris habiti praestantiores. Hinc vinum rubrum, ad nigrum colorem accedens, vel, si mauis, ipsum nigrum, in libationibus adhibitum Graecis, quod saepissime αἱματος εἶνον nominat *Homerus*. Hinc vinum *terrae sanguinem*, respiciens ad eius colorem, nuncupat Androcydes in epistola ad Alexandrum M. & inde *Plinius* XIV. 5. Hinc vina veteres rubro tingebant colore, sic vt ars impertierit, quod natura negauerat, quemadmodum videre est in *Cl. Salmasii* Exercitt. Plin. Tom. II. p. m. 1056. Salomo igitur sanguineum vinum, veluti nobilissimum, albo certe fuluoque longe dignius, nominauit, cuius fulgore oculos non perstringendos, neque largiore hausto mentem obumbrandam, pro sua sapientia monuit, simulque homines perdendo vino natos, poculorum remiges, & nepotum altissimos gurgites, seuere compescuit. Sed nunc requiescat *Ludolfus* in pace.

LVCAE

LVCAE XII. 21.

Οὕτως ὁ θησαυρίζων ἑαυτῷ, καὶ μὴ εἰς θεὸν πλουτῶν.

Ita est, quicunque thesaurum colligit sibi, nec est in Deo diues.

HAec est communis illa expositio, quam pertinaci proposito defenderunt ad hanc usque diem plerique omnes. Nec inficias ibimus, ἐν & εἰς vt in elegantissimorum Auctorum operibus, ita & in hisce libris miscerí saepissime; quippe quod vel illustri constat testimonio vocis ex ipso coelo demissae, quam Matthaeus Cap. III. 17. XVII. 5. sic sonantem inducit: οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα, dum interea Petrus, exquisite loquens, in posteriore epist. cap. I. 17. haec substituit, εἰς ὃν ἐγὼ εὐδόκησα. Quam profecto interpretationem recipere coacti fuerunt, quandoquidem nullibi πλουτεῖν cum εἰς constructum boni viri inuenerant. Atqui reuerenter ita legitur apud *Philonem Byzantinum* de septem orbis miraculis, capite de Ioue Olympio. Erat hoc simulacrum ex ebore auroque ab artis illius peritissimo Phidia confectum, singulari opera artificioque

que celebratissimum. Quare beatam pronunciat Philo Graeciam, splendidissima Deorum patris imagine superbientem, cuius felicitatem his exprimere visum fuit: ὦ καιρὲ τῆς Ἑλλάδος, καὶ ΠΛΟΥΤΙΣΑΣ ΕΙΣ Θεῶν ΚΟΣΜΟΝ, ὁπόσον ἄδεις ὕστερον ἐπλάτησεν. *Leo Allatius* vertit: *O Graeciae tempora, tanto Deorum splendore aucta, quanto nec olim vlla.* Ego potius reddendum existimo: *Quae diuitiis ad Deorum splendorem adhibitis abundauit.* Namque in eo versabatur Helladis laus atque beatitudo, quod opes diuinitus datas, in Deorum rursus honorem, εἰς θεῶν κόσμον, conferre decreuerit, industrii artificis manu Iouis imaginem fingens, orbis miraculum, Graeciae decus, superstitionis ac idololatriae gentilis monumentum. Idem Philo de muris Babylonicis differens: Σεμίραμις ΕΣ ΒΑΣΙΛΙΚΗΝ ΕΠΛΟΥΤΙΣΕ ΕΠΙΝΟΙΑΝ, *Semiramidi*, inquit, *maximae affluebant opes, quas ad regio animo dignas res impendit*, quod vel ad omnem posteritatis memoriam duraturum documentum, Babylonis muri, euincunt. Et haec *Allatius*, longius a verbis recedens, quod etiam de tota opusculi versione dictum esto, sic extulerat: *Semiramis regi-*

um

um animum diuitiis abunde explevit. Verum, non hic sermo de ingenii opibus, a regina conquisitis, sed de toto orbe celeberrimo opere, in quod diuitias elargita est. Atque hanc quidem Philonis Byzantini mentem esse, docebo ex iis, quae de Colossoo Rhodio narrat. Etenim de hoc pariter ait: μήποτε δὲ διὰ ταῦτο ὁ Ζεὺς Ῥοδίοις θεσπέσιον καλέχευε πλοῦτον, ἵνα τοῦτον εἰς τὴν ἡλίου δαπανήσωσι τιμήν; *Numquid vero ideo Iupiter large effuseque Rhodiis diuitias donauit, ut illas in Solis honorem consumerent?* Nonne idem heic sensus, qui paulo ante, mutatis tantum vocibus? Aliter non capio, quod est apud Lucam, πλουτεῖν εἰς θεόν. Namque *ad Deum diuitem esse*, idem, puto, est, ac amplis fortunis, quas ipsius benignitati debemus, sic vti, ut maiestati nominis honorisque eius magnae fiant accessiones. Euenit hoc, quando opulentiam ad res diuino cultui sacratas conuertimus, aut diuitiis iuuamus paupere s, si bene meruerint. Id enim eo loco habet Deus, ac si in se ipsum talia promerita essent collata. Quod palam testatur apud Matthaeum XXV. 40. ἐφ' ὅσον ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων τῶν ἀδελφῶν μου τῶν ἐλαχίστων, ἐμοὶ ἐποιήσατε. *Gregorius Nazianz.* in Tetrastichis compositis

posite canit: Χριςὸν σκέπεις, τρέφεις τε, τὸν πτωχὸν τρέφων. *Christum operis nutrisque, pauperem nutriens.* Hac demum ratione elegantissime e regione collocantur in textu nostro, θησαυρίζειν ἑαυτῷ, opes in proprium vnice vsum congestare, rem sacram vero eiusque incrementum parum aut plane non curare, & εἰς θεὸν πλουτεῖν, diuitiis bene facere Deo in membris, atque illi consecrare fini copias, ob quem a bonorum datore nobis sunt concessae.

IES. XLII. 3.

קנה רצוץ לא ישבור ופשתה כהה לא יכבנה׃

Arundinem quassatam non franget, & linum fumigans non delebit.

LOnge aliter de hoc loco sentimus, quam commentatorum caterua. Protritum est, *calamum quassatum*, hominem fragilem, inopem, cui tuto fidere nequeas, designare. Et sane קנה sic capitur 2. Reg. XVIII. 21. Ezech. XXIX. 6. ac in nosto Vate cap. XXXVI. 6. Eodem modo κάλαμος exstat Matth. XI. 7. Luc. VII. 24. Idem esto iudicium

cium de *lino*, *lucerna*, *lumine*, quae μετωνυμικῶς; vt ex mox dicendis patebit, miscentur omnia. Saluator Ioannem in Euangelio cap. V. 35. discipulosque suos Matth. V. 14. *luces* adpellat. Ista tamen nunc non arridēt. Potius crediderim, קנה ramum heic candelabri inferre, quo sensu legitur in Exodo XXV. 31. 32. 33. 35. 36. vbi LXX. constanter habent καλαμίσκον, vti in hoc Ieseiano vaticinio κάλαμον. Iam פשתה siue ellychnium, id quod in candelabro potissimum est, sic vt sine eo nullus huius sit vsus, declarat; vt adeo integrum hic habeamus candelabrum. Totum hoc respicit illud, quod in sancto ad dextram Dei, & ingredientis sinistram, fuerat in tabernaculo Mosaico collocatum: nam in Salomoneo templo vndecim conspicui erant lychnuchi. Notare cumprimis conuenit, dici in Exodo XXVII. 21. & 2. Chron. XIII. 11. quod lucerna isthaec a vespera vsque ad mane arserit; memorari insuper 1. Samuel. III. 3. tempus, quo נר אלהים טרם יכבה lucerna Domini nondum erat exstincta. Foret igitur mens textus praesentis. Deum non loco moturum *candelabrum* istud, vna cum calamis, & quicquid eo pertinet, scapo scilicet, calyculis,

lancibus, malogranatis; neque *linum fumigans* deleturum, hoc est, nec verbum propheticum, etiamsi λύχνος sit φαίνων ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ, 2. Petr. I. 19. nec cetera V. T. oracula aboliturum, quae lucis & lucernae adpellatione veniunt in Hymno CXIX. 105. Vel, linum, ellychnium, lux, verbum diuinum tenuesque eius vmbras, in animo adhuc relictas, depingunt, sensu facili, prono, nec anxie quaerendo. Non repugnat verbum נגע quod licet alibi *frangere* notet, hic tamen est *impingere*. Et locum nunc sibi dari postulat, quod Auctor τῆ *Aruch* fol. 149. col. 4. scribit, radicem hanc de allisione ad parietem capi. Quam belle haec conueniunt! Neque etiam alio candelabrum in sanctuario impingere poterat, quam ad parietem, nisi fatali casu prosternendũ fuisset penitus. Quod si vulgares in animo habuit Propheta lampadas, obseruabis ex Iudaeorum more, alias *vsui* inseruiisse, alias *ornatui*. Ex illarum ordine sunt candelae Sabbaticae, ad quas nullum fas erat conficere opus, vi sanctionum in *Maimonidae* Hilch. Schabb. Cap. V. §. 14. 15. 16. exstantium; nec non illae, quas in festis diebus initiationis repurgati templi & altaris per Iudam Maccabaeũ accen-

accendunt, de quibus idem Hilch. Channucha capite quarto. Ad has pertinent, quibus in inquirendo vtuntur fermento, vel ex Maimonidis Hilch. Chamez vmazza satis notae; item ad quas Israelitae in festo tabernaculorum saltabant, luculenter indicatae in Codice *Succa* V. 2. 3. 4. Et ad posterioris generis lucernas, respexerit necesse est Iesaias. Siue vero admittatur, siue reiiciatur interpretatio nostra, parum ad nos. Quin potius vno quasi fasce constrictas exhibebimus, quotquot animo se obtulerunt, coniecturas. Accensa lumina ardentiaque gaudii signum inter Ebraeos exstiterunt. *Persius* Satyra V. 180.

Herodis venere dies, vnctaque fenestra
Dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae.

Sic Messias gaudebit, aliqualem adhuc lucem micantem conspiciens. Et tantum abest, vt supprimere velit, vt potius excitare ac fouere studeat. Nihil de sex ignium speciebus, in Cod. *Ioma* fol. 21. b. recensitis, nihil de sacro gentilium igne dicam, quem exstingui haud sinebant αἱ Ἑστιάδες παρθένοι, nomen ex eo nactae, vti nos suspicamur,

quod custodes fuerint ignis Dei, אש יהוה diserte nominati 1. Reg. XVIII. 38. siquidem ex decurtata scriptione, addito Chaldaeorum praenomine אש דיי' conflatum est Ἑστία, Vesta, ara, indeque Ἑστιὰς, Vestalis. Adhaec, vel ex superstitione non delebant lucernas ethnici, quod obseruat illustrissimus *Scaliger* in Virgilii Cirin pag. 332. vel metu alicuius damni; quandoquidem odorem a lucernarum exstinctu abortus esse caussam, a *Plinio* VII. 7. traditum inuenio. Enimuero alia hic obtinet ratio. Diuinae etenim benignitati tribuendum est, quod non vno pereamus halitu. Ceterum, de sententia hac mea, idem aio, quod ille apud Comicum de anu: οὐ μαχοῦμαί τινι.

LVCAE III. 22.

Καὶ καταβῆναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον σωματικῷ εἴδει, ὡσεὶ περιστερὰν, ἐπ' αὐτόν.

Factum est, *vt descenderit Spiritus Sanctus, corporea speeie, tanquam columba, super illum.*

ADscripsi expositionem ab omnibus receptam adprobatamque. Quum solus

Lucas

Lucas σωματικὸν εἶδος habeat, ceteri non item; cogitandum, qua de causſa hoc additum, & quomodo rite intelligendum. Tres Euangeliſtae reliqui deſcendiſſe referunt Spiritum Sanctum ὡσεὶ περιστερὰν, quod cum variis modis capi queat, conſultum duxit Noſter, deſcenſus iſtius rationem declarare verbis, de quibus nunc diſpicimus. Contigit nimirum *ratione vera*; σωματικῶς rem vere factam commonſtrat, non φανταστικῶς, ſiue reſpectu Saluatoris, ſiue adſtantium. Ita in Chriſto dicitur in epiſt. ad Coloſſ. II. 9. habitare tota plenitudo diuinitatis σωματικῶς, id eſt, vere, plene, ac ſolide, per oppoſitionem ad V. T. vbi Deus reſidebat in templo per vmbras. In quem locum eleganter commentatus eſt *Auguſtinus* epiſt. LVII. Tom. II. Opp. p. m. 183. edit. Baſil. 1528. *Non ideo* corporaliter, *quia corporeus eſt Deus; ſed verbo trauslato vſus eſt, tanquam in templo manufacto non corporaliter, ſed vmbraliter habitauerit, id eſt, praefigurantibus ſignis. Nam illas omnes obſeruationes vmbras futurorum vocat, etiam ipſo translato vocabulo. Summus enim Deus, ſicut ſcriptum eſt, non in manufactis templis habitat.* Εἶδος vero *modum* heic ſignificat, vt

est apud *Herodianum* Lib. V. cap. 5. εἰς εἶδος δὲ τιάρας στεφάνην ἐπικείμενος χρυσῷ καὶ λίθοις τιμίοις, *ad modum tiarae factam coronam imposuit, auro lapillisque multis pariter ac pretiosis distinctam.* Putabimus ergo hunc esse sensum; non alia ratione venisse Spiritum S. quam solet accedere columba. At haec quo modo aduenit? Dicam paucis: mouendo, volitando, agitando, molli placidoque strepitu. Demisit quippe sese sacer spiritus ad modum columbae; non autem in specie columbae adparuit. De Angelo piscinam Bethesda turbante, dicitur Ioan. V. 4. ἄγγελος κατὰ καιρὸν κατέβαινεν ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, καὶ ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ. Et vero *Beza* scribere haud dubitauit: *Non est probabile Angelum consueuisse visibili specie descendere: sed ex aquae repentina turbatione & consequente miraculo, satis omnibus constabat, diuinitus id fieri consueuisse.* Debet sane mundi creatio cum instauratione salutifera congruere. Ibi Spiritus Dei erat מרחפת על פני המים *mouens se super aquis*, stylo Mosis, Genes. I. 2. id quod fiebat על כיונה שמרחפת בניה ואינה נוגעת *instar columbae, pullis suis incubantis, neq; tamen prementis*, quemadmodum vetusta est Magistrorum traditio in

Cha-

Chagiga fol. 15. a. Ex qua imagine ortam arbitror antiquiorum de ouo primigenio opinionem, relatam a multis. Nec dubito huc referre *Helladium Besantinoum*, ex cuius Chrestomathia excerpta nobis seruauit diligentissimus *Photius*. Audi illum: Ὅτι μυθολογεῖ ἄνδρα τινὰ, ὠνομασμένον Ὼήν, τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἀνελθεῖν -- καὶ καταδεῖξαι τὴν τε Ἀστρονομίαν, καὶ τὰ γράμματα· οἱ δὲ αὐτὸν ἐκ τῶν πρωτογόνων πεφηνέναι λέγουσιν Ὼός, καὶ μαρτυρεῖν τὸνομα. *Virum quendam narrat, nomine Oen in rubro mari visum, qui & Astronomiam & litteras monstrauerit. Alii vero ex primo omnium parente*, Ὼός, vel potius Ὼοῦ, *ouo, natum ferunt, testem adferentes nomen ipsum.* Hoc monstrum Oannes vocatur a Berosо aliisque, sub quo Noachum latere volunt *Isaacus Vossius* de aetate mundi, atque *Steph. Morinus* Exercitt. de Linguis Cap. XIII. pag. 153. Ouo exclusi Castor, Pollux, Helena, humanam sortem egregie factis ac pulcritudine excedentes, diuinisque mentibus similes. Redeamus ad textum. Vti inquam in primo rerum omnium initio Spiritus Dei mouendo se exhibuit; ita heic idem obseruare licet. Aderat Pater *voce*, Spiritus *sono*, *strepituque* volantis atque insidentis, manifesto diuinae praesentiae signo, quod

ex 1. Reg. XIX. 12. constat, vbi Iehoua in *voce silentii tenuis* & benigni adparuisse legitur, cum alioquin & in commotione, fragore, concussione, praesentem sese declarauerit. Consule Psal. XXIX. 4. 5. Actor. XVI. 26. Quem subitaneum motum non sine Numine fieri, statuerunt gentiles. *Valerius Max.* I. 8. num. 7. *Nec me*, inquit, *praeterit de motu & voce deorum immortalium, humanis oculis auribusque percepto.* Adde, nusquam vel in veteri vel nouo foedere legi, Deum figura animalis, quantumuis placidissimi, comparuisse; quod sane indignum Deo videri posset. Eccur igitur hic nugas vendunt interpretes, quum tamen adparitionum motu strepituque factarum existant complures? Ego heic veneror complementum oraculi Iesaiani Cap. XI. 2. נחה עליו רוח יהוה *requiescet in eo* (Messia) *Spiritus Iehouae.* At requiescere, & columbinam induere formam, multum sunt inuicem disiuncta. Diuini Spiritus commorationem & requiem in aliquo, indicium Iudaei habent hominis, vltra communem mortalium conditionem euecti; &, mea quidem opinione, recte omnino; nam qui

alia

alia hic comminiscuntur, cum ratione delirant.

IESAIAE XXIII. 8.

צור המעטירה׃

Tyrus coronata.

FRustra laborare videntur, qui tam anxie & cum quadam superstitione sensum hic inuestigant, sponte se offerentem. Quid enim magis planum, aut verum, aut ceteris linguis conueniens, quam florentissimas ciuitates, coronis veluti reuinctas, depingere? Graeci profecto εὐστέφανος de vrbibus adhibent, quemadmodum ab *Hesiodo* cum in scuto Herculis ν. 80. tum in Theogon. ν. 978. εὐστέφανος Θήβη sistitur, eodemque nomine plures ornantur a *Phlegonte Tralliano* Mirabil. cap. 3.

Ὦ πατρὶς, οἵην σοι λυγρὸν φέρει Ἄρη Ἀθήνη,
Ἡνίκα πορθήσασ' Ἀσίην πολυόλβον ἵκηαι
Ἰταλίην ἐς γαῖαν, εὐστεφάνες τε πόληας.

Guiliel. Xylander conuertit:

Eheu quam dirum Pallas tibi, patria, Martem

Immittet, postquam Ausonias remearis ad urbes
Deuastata Asia natale solumque beata.

Audiunt ita elegantibus firmissimisque muris septae ciuitates; vnde *Suidas* εὐτείφανος exponit per εὐτείχιστος. Στεφάνη quippe turrium pinnas designat, quod discere licet ex *Eustathio* ad Iliad. H. 12. Et עטרה Ebraeorum hunc significatum non respuit. Sponsarum id declarat corona, nomine עיר של זהב *vrbis aureae* veniens, vtpote ex quo metallo confecta, turrisque in modum, vel vrbis Hierosolymorum, formata fuit, quomodo eam inuenies descriptam in Cod. *Schabb.* VI. 1. *Maimonide* & *R. Obadia de Bartenora* h. l. nec non *Gemara Hieros.* ad cit. tract. fol. 7. col. 4. aeri autem incisam in magni *Wagenseilii* commentario ad Sotam pag. 965. At Tyrum validissimis atque excelsissimis propugnaculis superbiisse, vel solius *Curtii* Lib. IV. 4. dubitare non permittit auctoritas. Vides igitur, qua ratione *Tyrus coronata*, non vero coronans aut coronaria, dici possit? Neque hoc duntaxat respectu, verum etiam quoad opes, potentiam, decora alia, diademate fuisse redimita legitur, & quidem in Ebraeo homine. *Raschius* in animo

animo est, qui ad Hos. IX. 13. coronam felicitatis Tyro quasi propriam fuisse memorat, quando ad verba: אפרים כאשר ראיתי לצור in hanc sententiam commentatur: בשלוותה מעטירה ועשירה על כל הפרינות *felici rerum successu coronata fuit ditiorque omnibus reliquis urbibus* vnica illa Tyrus.

MATTH. XXIV. 51.

Διχοτομήσει αὐτόν.

In duas partes secabit illum.

MOlestum nobis, nec vtile Lectori foret, diuersas huius loci expositiones adferre, a quo alienae doctrinae inani splendore longe absumus. Ingenue profitebor, quid sentiam. Supplicium grauissimum intelligi debere, nexus loquitur. *Eandem* enim *cum hypocritis sortem experiri*, est nil aliud, quam detrudi in infernum, quod ex innumeris comminationibus in vtroque Testamento, contra id genus hominum, obuiis, manifesto liquet. Iam quis ille locus, in quo *ploratus & stridor dentium* percipiatur, qualis pœna, in eum coniici, ignorare non possumus, ipso Dei Spiritu docente. Sic itaque

itaque nonnisi maxime horrendas pœnas integro hoc commate proponi, constat. Porro, in partes alicuius corpus discerpere, poena fuit vsitata populis bene multis. De Iudaeis vide sis Iudic. XIX. 29. 1. Sam. XV. 33. Et ex Ebraeis subiit istos cruciatus Iesaias, quod ex *Iosepho, Iustino Martyre, Tertulliano, Origene, Epiphanio* atque *Hieronymo, sectum in duas partes occubuisse* vatem diserte testante, viri docti ostenderunt dudum. Tandem adiicio praeclarum *Sulpicii Seueri* testimonium, ex epistola secunda p. 368. desumtum, vbi de S. Martino loquitur. *Quod si Esaianum illud supplicium persecutori forte placuisset, nunquam profecto impar Prophetae, serris & laminis dissecari membra timuisset.* Neque Chaldaei ab ea atrocitate abhorruerunt; vide Daniel. II. 5. III. 29. neque Romani, de quibus exempla prostant apud *Suetonium* in Caligula Cap. XXVII. *Tertullianum* Apologet. cap. 3. *Liuium* I. 28. VIII. 24. & lex aliqua XII. Tabularum apud *Gellium* XX. 1. Neque etiam Graeci, verbis ῥαχίζειν & διατμήγειν istam crudelitatem signantes, obseruante *Erasmo Schmidio* ad locum nostrum, atque *Seb. Pfochenio* §. CXI. Latuit adhuc

διχα-

διχοτομεῖν, quod de eodem supplicio adhiberi, non recordor adnotasse quemquam. Gratiam habeat *Plato*, quod in Symposio adposuerit, quae exspectare poteramus. Multis ibi narratur pag. 182. quod primi in orbe homines fuerint adrogyni, (plane vt Iudaei, inprimis Kabbalistae, nugantur) duplicatis corporis partibus instructi, cursu veloces, robore valentes, animo celso, sic vt contra Deos praelia ordinare coelumque petere decreuerint. Tum vero Iouem debilitandi eos rationem inuenisse sequentem: νῦν μὲν αὐτὲς διατεμῶ δίχα ἕκαστον, *nunc quemuis eorum in duas eonscindam partes.* Addidisse Deorum patrem; quod si impie perrexerint & insolenter viuere, πάλιν αὖ τεμῶ δίχα, *iterum in duo concidam.* Mox appareret decreti exsecutio: ταῦτα εἰπὼν, ἔτεμνε τὲς ἀνθρώπες δίχα, ὥσπερ οἱ τὰ ὠὰ τέμνοντες καὶ μέλλοντες ταριχεύειν, ἢ ὥσπερ οἱ τὰ ὠὰ ταῖς θριξίνε *Haec fatus, bifariam secuit homines, eorum instar qui oua diuidunt sale condienda, aut qui oua crinibus partiuntur.* Merces est διχοτομία nefandorum criminum, & inobedientiae potissimum aduersus supremum Numen. Vnde *Plato* recte iterum pag. 183. φόβος ἔν ἔνεσιν, ἐὰν μὴ κόσμιοι ὦμεν πρὸς τὲς θεὲς, ὅπως

ὅπως μὴ καὶ αὖθις διαχιοθησόμεθα, *metuendum igitur, ne, si non satis compositè nos erga Deos gesserimus, iterum diuidamur.* Et tale quid hic cogitare debemus. Neque putandum, nimis seueram esse poenam, quae seruo, leui quidem de caussa, irrogari debeat, quum ista non tam ad illum κακὸν δοῦλον pertineant, quam ad pessimos homines, voluntati diuinae palam repugnantes. Nouimus enim Saluatorem in parabolarum ἀποδόσει plus aliquando ponere, quam erat in προτάσει.

MICHAE VII. 19.

ותשליך במצולות ים כל חטאותם׃

Proiicies in profunda maris omnia peccata illorum.

QVia nihil ex antiquitate Iudaica succurrit, quod numeris omnibus illustrare valeat locum, cum nec aqua ex fluuio hausta, ad lustrationes adhibenda, nec similes huc pertineant ritus; substituemus tantisper Graecorum consuetudinem, dum excellentia doctiorum ingenia praestantius quid excogitauerint. Graeci, quando ad mare sacra faciebant, (quod tum maxime obti-

obtigit, vbi Diis marinis sacrificare constitutum fuerat) lustrabanturque, purgamenta abstersa in mare abiicere consueuerant. Fons rerum antiquissimarum Iliad. A. 313.

Λαὸς δ' Ἀτρείδης ἀπολυμαίνεσθαι ἄνωγεν·
Οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο, καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον.

Populos vero Atrides lustrari iussit. Illi igitur lustrabantur, sordesque in mare proiectabant. De Alexandrinis refert Lexicographorum Sol, *Suidas* v. Κηρύκαινα, esse illis peculiares feminas, sordes muliebres quae colligant, ἢ ἀποφέρουσιν εἰς θάλασσαν, *& ad mare deferant.* Mare potissimum excipiendis eiusmodi purgamentis idoneum existimabatur, vel quod coenosa valde & impura sit eius aqua, sic vt καθάρματα in nullum magis conuenientem locum coniici queant; vel quod marina aqua singulari prorsus purgandi sordiumque inquinamenta auferendi virtute instructa crederetur ex gentilium opinione, cuius innumera prostant in veteribus exempla, hic tamen non proferenda.

II. EPIST.

II. EPIST. AD TIMOTH. III. 8.

Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς.

Iannes & Iambres.

LOquuntur de his tanquam veris malorum hominum nominibus, & filiis quidem peſſimi Bileami, non tantum Chaldaeus, Talmudiſtae, Ebraeorumque ceteri, quorum teſtimonia ſedulo collecta videbis in *Buxtorfii* Lex. Talm. col. 945. ſeq. verum & Plinius, Numenius Pythagoricus, Apuleius, a magno producti *Grotio* de verit. relig. Chriſt. Lib. I. §. 16. notis pag. 57. edit. Pariſ. 1650. fol. Quid ſi ficta diceremus nomina, non tam par quoddam hominum, ſed plures, & quidem ignotos, deſignantia? vt congrueret locutioni פלוני אלמוני cum in Iudaicis ſcriptis frequentiſſime, tum in hiſtoria Ruthae IV. 1. itemque 1. Sam. XXI. 3. 2. Reg. VI. 8. occurrenti, vel de homine, cuius nos verum nomen fugit, vel de loco, quem aut nequimus indicare aut nolumus, vſurpatae. Et adfine eſt חילק ובילק in *Sanhedr.* fol. 98. b. *Cholin* fol. 19. a. quae vocabula ſunt equidem שמות בני אדם nomina hominum,

num, scribente *R. Dauide Cohen de Lara* in libro cui titulum *coronae sacerdotii* imposuit, fol. 25. col. 2. sed nonnisi illorum, quorum propria tacere cogimur. Atque sic forsan habet se יניס וימברס Rationem adpellationis veram non magis promere possum, quam פלוני אלמוני aut חילק ובילק Sunt enim vocabula ad sonum formata, cuiusmodi dantur in omnibus linguis. Paulus vero maluit ipsa verba totamque locutionem, vti apud Iudaeos leguntur, seruare, quam in alienum sermonem transfundere. Verissime igitur dixit, fuisse Iannem & Iambrem, hoc est, extitisse aliquos, nominibus haud notos, nec etiam illis compellandos, qui Mosi per omnia restiterint. At quam suaue illud, fuisse Bileami posteros! Vndenam ista traditio? quibus ex fastis, qua genealogia, quo auctore, cuius fide, hoc dicerunt? Nec taceri debet *Abul-Pharaiius*, qui in histor. Dynastiar. p. 26. Iannem ac Iambrem Mosis in sapientia Aegyptiorum praeceptores extitisse scribit, nullo teste subnixus. Turpius adhuc gentiles hallucinantur, ipsa insuper nomina misere distorquentes. Historiae naturalis conditor Lib. xxx. 1. Iamnen & Iotapen nominat, ex quorum

 postre-

postremo quiduis potius aliud, quam Iambren, exsculpere licet. Quia tamen heic plurimum valet antiquissimus veterum consensus, retineamus, quod per tot secula docuerunt maiores,& quod eruditorum auctoritas misit in possessionem. Sequatur enim quisque quos fide dignos iudicat, memor huius: veritatem etiamnum in Democriti latere puteo, vnde hauriant, qui possunt.

GENES. XXXIX. 12.

ויתפשהו בבגדו׃

Tum prehendit eum veste eius.

INcassum laborauerat perfida Potipharis coniux, pudicitiam venustuli Iosephi verborum lenociniis,immo & minis, sollicitans, quod plenius intelligere licet ex mutuo colloquio, in *Ioma* fol. 35. b. indeque in *R. Gersonis, filii Aseris* libro, cui titulus Iichus Zaddikim fol. 65. a. b. adseruato. Tandem vestimentum trahit eius, quem tam impense diligebat, in summi amoris, extremo in apice collocati, signum. Credamus *Musaeo*, qui ℣. 117. sic de Leandro:

Θαξ-

Θαρσαλέως παλάμῃ πολυδαίδαλον ἕλκε χιτῶνα.

Audacter manu elegantissimo artificio variegatam traxit vestem. Ibidem ℣. 123. seqq. Ero loquitur:

— — — ἐμὸν δ' ἀπόλειπε χιτῶνα.
Μῆνιν ἐμῶν ἀπόειπε πολυκτεάνων γενετήρων.
Κύπριδος ἄ σοι ἔοικε θεῆς ἱέρειαν ἀφάσσειν.
Παρθενικῆς ἐπὶ λέκτρον ἀμήχανόν ἐστιν ἰκέσθαι.

Meam mitte vestem, meorumque declinatam opulentorum parentum. Neque enim Deae Veneris tibi convenit sacerdotem sollicitare. Virginis in thalamos difficile est ire. Vide quam suauiter conspirent omnia. Salax femina & secutuleia soror eum in finem ad se traxit Iosephum veste, vt in lecti societatem perduceret; quare e vestigio adiecit שכבה עמי *concumbe mecum.* Atque sic viris propriam alioquin consuetudinem nequissimae vxoris libido imitabatur, id sibi non ducens pudori, quod ne quidem in sexu laudem inueniebat digniore. Haec de ritu, leui, fateor, nec tamen tacendo, sufficiant. Ceterum, Iosephi factum derisores hodie multos, admiratores paucos, imitatorem fere habet neminem.

LVCAE X. 42.

Τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο.

Optimam partem elegit.

QVia de familiaris rei curatione ciborumque praeparatione, paulo ante actum fuit; non dubito, lucem inde qualemcunque hisce verbis praebere. Nihil interest, siue ad Ebraeorum siue gentilium consuetudines in praesentia nos recipiamus. Quos amore singulari aut honore prosequebantur Iudaei, iis vel speciosam partem & praestantissimam, 1. Sam. I. 5. vel ampliores dabant pluresque portiones, Genes. XLIII. 33. Apud Lacedaemonios duplo plus in conuiuiis accipiebant reges, quam alii, teste *Xenophonte* orat. de Agesilao p. 665. E. οὐχὶ πλησμονῆς ἕνεκα, ἀλλ' ὅπως ἔχοι καὶ τούτῳ τιμᾶν, ἔιτινα βούλοιτο, *non satietatis nimiae caussa*, quasi duplum voraret rex, *sed vt honorare inde posset, quem vellet*. Quod ipsum repetit Musa Attica in libello de Republ. Lacedaemoniorum. Cretensium Archonti quatuor obtigebant conuiuales partes, docente *Heraclide Pontico* de politiis. Vna erat

rat Archontis, altera donabatur ab Archonte, cui libuerat; tertia ad domesticos pertinebat; vltima erat τῶν σκευῶν, vnde suppellectilem parabat. *Pollux* Lib. VI. auctor est, praecipuam in distribuendo partem, Ἑρμῆ κλῆρος, *Mercurii sortem* fuisse adpellatam, prorsus vt apud Persas τὰ παντελῆ βρώματα *edulia pretiosissima* vocabantur Διὸς καὶ βασιλέως ἐγκέφαλος, *Iouis regisque cerebrum*, vt te docebit *Plutarchus* prouerb. Alexandr. LXIII. Numquid huc referam portiones, de quibus Esther. IX. 19. nec non eas, quae pauperibus dabantur, Iobi XXXI. 17. Ies. LVIII. 7. פרוסות a frangendo & diuidendo dictas, ac tantae magnitudinis, vt frustum eiusmodi vnicum vel integro sufficerit prandio, si fidendum *Raschio* ad Berach. fol. 39. col. 2. atque R. *Nathani* in Aruch. Eadem peragere cum victimarum reliquiis, in Graecos transiit mores, probante vel solo *Theocrito* Idyll. V. 139. seq. Et quid opus testimoniorum agmina proferre, dum compendio negotium absoluere studemus?

PSAL. CXXVII. 4. 5.

כחצים ביד גבור כן בני הנעורים : אשרי הגבר
מלא את אשפתו מהם :

Vt ſagittae in manu robuſti, ſic filii iuuentutum ſunt. Beatus vir, quisquis impleuerit pharetram ſuam illis.

Dicam de hoc loco ea verborum parſimonia, tanquam audiat Lycurgus; tractabo tam reuerenter, vt praeſentes eſſe poſſint Veſtales. Nouam produco expoſitionem, ſed trepide admodum; non aliter quam ſi equum equitarem alienum. Neque tamen ſine auctoritate, ſine ratione, &, vt arbitror, veritate, loquar. *Arcus* eſt vocabulum e Republica Veneris, eiusque foetus quaſi, *telum*. Sic vſurpant anteceſſores קשת in *Cod. Sota* fol. 36. col. 2. notatque *R. Salomo Iſaac* deſignari שכבת זרע על שם שיורה כחץ *concubitum, in quo iaculi inſtar emittitur* ſemen. Sequens ſententia reperitur in *Sanhedr.* fol. 92. a. כל המסתכל בערוה קשתו נפערת *Quisquis curioſius intuetur pudenda* (mulieris,) *eius debilitatur arcus*, hoc eſt, iuxta enarratorē Talmudicum, אבר שלו נפגר שאינו מוליד Haec non interpretor, vocans Tibi in memo-

memoriam illud tritum חמשכיל יבין Quin & hoc sensu imbui volunt Gemaristae, quod in Habak. III. 9. legitur. Iam quoque intelliges, spero, quid אשפה *pharetra* in commate vltimo declaret. Adscribam ad extremum verba Siracidae ex Cap. XXVI. 12. vbi de muliere venalem formam exhibente: Ὡς διψῶν ὁδοιπόρος τὸ στόμα ἀνοίγει, καὶ ἀπὸ παντὸς ὕδατος τῷ σύνεγγυς πίεται, κατέναντι παντὸς πασσάλου καθήσεται, καὶ ἔναντι βέλους ἀνοίξει φαρέτραν. *Quemadmodum viator sitiens os aperit, de omni aqua sibi proxima bibet, ad omnem palum sedebit, omnique iaculo aperiet pharetram.* Palus heic eo sensu, quo apud *Horatium* Sermon. Lib. I. Satyr. 8. v. 5.

Obscoenoque ruber porrectus ab inguine palus.

Vltima Ben Syrae vocabula dilucidius illustrant Syriaca & Arabica versiones, quas consuluisse non poenitebit. Ceterum de *pharetrae* significatu, in quem modo inquisiuimus, agit *Barthius* Aduersar. XLII. 2. col. 1869. quo te mitto.

MATTH. X. 29.

Οὐχὶ δύο στρουθία ἀσσαρίου πωλεῖται; καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐ πεσεῖται ἐπὶ τὴν γῆν ἄνευ τοῦ πατρὸς ὑμῶν.

Nonne duo passerculi assario veniunt? nec tamen vel vnicus ex illis in terram cadet, sine patris vestri voluntate.

NIhil hic *Ligtfootus* obseruat; quum tamen Talmud Hierosolymitanum, quod studiose lectitauerat, nobilem seruet locum, vbi haec ipsa ad verbum reperiuntur. Namque in tract. *Schebhiith* fol. 38. col. 4. paulo ante medium haec offendimus: צפור מבלעדי שמיא לא יובדא כל שכן נשא *Auicula sine voluntate Dei haud perit, quanto minus homo.* Habes eandem γνώμην in *Bereschit rabba* sect. LXXIX. fol. 71. col. 4. itemque in *R. Simeonis* Pera Part. I. fol. 40. col. 3. versu 4. a fine. Tales naeui & defectus in scriptore illo Anglo cernuntur complures, quorum nunc aliquos, ad priora tantum nostri Euangelistae capita, bona Lectoris cum venia, supplementi vice adducemus. Ad Cap. V. 18. cum *Ligtfootus* ipse, tum *Hackspanius* in tract. de scriptorum Iudaicorum in Theologia vsu p. 425. seq. protulerunt equidem

dem bene multa, ex quibus proueibialem loquendi rationem, illic obuiam, addiscas; non tamen omittendum erat egregium in *Schir haschirim rabba* fol. 269. col. 4. testimonium אם מתכנשין כל באי עולם להלבין כנף אחת מן העורב אין יכולין כך אם מתכנשין כל באי עולם לעקר יוד שהוא קטן האותיות שבתורה אינן יכולין: *Quamquam totius orbis incolae omnes in vnum conueniant, ad albam reddendam vel vnam corui alam; tamen efficere non poterunt. Par est ratio, si vniuersi in hoc mundo viuentes congregentur simul ad euellendum duntaxat vnicum Iod, minimam ex lege litteram; neque enim hoc praestare poterunt.* Subiiciunt Magistri Salomonis regis exemplum, conantis aliquando לעקור מן התורה *exstirpare* (pro quo deinceps adhibent לבטל *abolere*) *vnicum de lege Iod.* Verum piget nos fabulae, in *Ialkut* etiam *Simoniano* Part. II. fol. 180. col. 2. legendae. Liquet exinde, aeternam sacrorum oraculorum, quoad minutissimos usque apices, durationem, perfecta fide credidisse Iudaeos. Sed & priora compilatoris τῶν Rabboth verba, de coruo ex nigro in album nulla potentia hominum mutando, vide quam belle cum memorati capitis

commate 36. ὃ δύνασαι μίαν τρίχα λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι, congruant. Locis ex Talmude Cap. VI. 30. a *Ligtfooto* iam adductis, adde & illum ex *Sota* fol. 48. b. versu 3. a fine מי שיש לו פת בסלו ואומר מה אוכל למחר אינו אלא מקטני אמנה *Quisquis bucellam adhuc in caniſtro habet, dicitque; quid craſtino die comeſturus ſum? nae is ex nullo alio quam* τῶν ὀλιγοπίστων *ordine eſt.* Imaginem a Saluatore propoſitam Cap. VII. 24. ſeqq. dici non poteſt, quam apte illuſtret, quod in *Capitulis Patrũ* de eo qui multa nouit, pauca praeſtat, legitur. Hunc quippe ſimilem pronunciant Doctores לאילן שענפיו מרובין ושרשיו מועטין והרוח באה ועוקרתו והפכתו על פניו: *arbori multorum ramorum, ſed paucarum radicum, quam ingruens ventus radicitus euellit, atque humi proſternit.* Eum vero qui in faciendo induſtrius, quam in excogitando ſubtilia adſequendoque felix eſt, arboris inſtar ſe habere aiunt *paucioribus quidem ramis, at frequentioribus inſtructae radicibus* שאפילו כל הרוחות שבעולם באות ונושבות בו אין מזיזות אותו ממקומו *quam nec omnes totius orbis maximo impetu irruentes venti loco mouere queant.* De comparatione hominum cum arboribus, vide quae nos

nos harum obseruationum Lib. I. pag. 79. ff. congessimus. Ex Veritatis ore profluxit effatum Cap. X. 25. Ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ, ἵνα γένηται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, καὶ ὁ δοῦλος ὡς ὁ κύριος αὐτοῦ, cui ad amussim respondet illud *Aben Esrae* ad Hos. I. 2. דיו לעבד להיות כרבו *satis est seruo, si fuerit veluti dominus suus.* Quod ex antiquioribus petitum, quorum loca collegit *Buxtorfius* in Floril. tit. Αὐτάρκεια, & *Drusius.* Nonne putandus est humani generis Sospitator verbis Cap. XI. 13. πάντες οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἕως Ἰωάννου ἐπροφήτευσαν, respexisse ad canonem Iudaicum in Cap. *Chelek* fol. 99. a. occurrentem, כל הנביאים לא נתנבאו אלא לימות המשיח *prophetae omnes ad Messiae vsque tempora*, vel etiam, de Messiae temporibus, *vaticinia ediderunt*, respexisse? Tantum Messiae, hoc est, sibi ipsi, Ioannem substituit; is enim Elias est, finem facturus vaticiniis. Verum hic terminus esto. Reuocat nos Apelles ad crepidam nostram. Tu nunc coniicies, mi lector, quam ingens parata sit illis copia, qui *spicilegium Ligtfootianum* per singula propemodum commata instituere voluerint; a qua nos mente haud alienos quondam extitisse fatemur.

IE-

IESAIAE VII. 15.

חמאה ודבש יאכל לדעתו מאוס ברע ובחור בטוב:

Butyrum & mel comedet, vt sciat spernere malum & eligere bonum.

MEl ac butyrum edere, idem heic, opinor, est ac primis imbui sapientiae rudimentis. *Lac* eo sensu exstat 1. Petr. II. 2. Ebr. V. 12. 13. itemque 1. Corinth. III. 10. quo de loco vide, si lubet, *Clementem Alexandr.* Paedag. I. 6. p. 98. *Butyrum* vero, lac concretum *Tacitus* de morib. Germ. cap. 23. spumam lactis *Plinius* XI. 41. vocat. Porro, vti fertilitas, copia, abundantia, per *fluere lacte & melle* passim in diuinis scriptis notatur; sic & per *flumina torrentesque mellis atque butyri* eandem Iobus Cap. XX. 17. designat. Tali proinde modo intelligere licebit *mel*; quo, quia Ebraeorum infantes nutriebantur, non secus ac butyro & lacte, hinc elementa pariter prima cognitionis rerum praestantissimarum declarat. Quo Dauid alludens, de vniuersa lege diuina pronuntiat Psal. CXIX. 103. *Quam dulcia sunt palato meo* iudicia *sermonis tui*, suauiora sunt

sunt *melle ori meo.* Atque hunc ipsum deguſtabit cibum Immanuel, qui hic naſcendus praedicitur, eum in finem לדעתו VT *ſciat reprobare malum & eligere bonum.* Niſi enim ſic exponas, languida erunt omnia, Quae cauſſa eſt, cur interpretes nexum haec inter & antecedentia verba inuenire nequiuerint, quem nunc pronum eſſe putamus. Quamquam vero ab hominibus edoctus Meſſias non fuerit, quippe quem Magiſtrorum ſcholas, diſcendi cauſſa, adiiſſe nullibi legimus: creuit tamen diuina illa ſapientia, Luc. I. 80. quae ipſa gradus ſuos, tempora & augmenta habet. Ceterum, an recte coniecerim, iudicare nollo illos, qui a vulgi ſententiis, tanquam ab Iouis ara aut ſtatua Imperatoris, auelli ſe non patiuntur. Ego non tam ſine fronte ſum, vt Veritatem me conſecutum glorier; ſed procul ſtans, eius, veluti Numinis, veſtigia prorſus adoro.

EPIST. AD PHILIPP. II. 8.

Καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, ἐταπείνωσεν ἑαυτόν.

Et habitu inuentus veluti homo, ſeipſum ſubmiſit.

NAm ex his vocibus initium ſumi debere commatis, elegantior linguaeque genio

genio conuenientior structura sermonis indicat, adplaudentibus, quae *Bezam* sequuntur, editionibus. Ludit verbis Apostolus, sed eminente, sed erudito more. Paulo ante dixerat ℣. 7. comparuisse Dei filium, inter homines degentem, ἐν μορφῇ δέλε, iam addit, inuentum fuisse in eo σχῆμα ἀνθρώπε. Quia enim serui formam assumserat, sic ab omnibus habitus est, submittendo seipsum. Cur, quaeso, σχῆμα adhibet sacer scriptor? ideo forsan, quod *schema* seruilem inferat paenulam, prout ex Plauto & Theocrito docet illustrissimus *Scaliger* in Auctoris incerti Copam pag. 526. seq. Etiam ἄνθρωπος de vili protritoque homine, vsurpari, luculento Platonis testimonio euicit *Petr. Petitus* Lib. III. Miscell. Obseruatt. cap. XV. p. 181. s. Immo, quod addimus, seruum notat subinde, vt vel solius *Lysiae* constabit fide. Is oratione VI. quos θεραπόντας nominauerat crebrius, simpliciter pag. 96. τὲς ἀνθρώπες adpellat. Idem, de sequiore sexu dum adhibetur, statuendum. Lysias pariter de serua scortoque orat. III. frequentissime vtitur; quam ideo saepius τὴν ἄνθρωπον πορνὴν appellat ibidem; plane vt *Antiphon* orat. I. p. 21. παλλακὴν ac τὴν ἄνθρωπον miscet. De ἀπελευθέρᾳ, pudici-

pudicitiam vero vendente, *Isaeum* orat. V. pagg. 457. 461. 464. 465. nec non *Aelianum* in Var. Hist. XII. 1. p. 662. de minus pudicis mulieribus, de ipsaque Lamia cap. 17. vsum fuisse animaduertes, nec sine emolumento tuo, quandoquidem frustra haec talia in Lexicis quaeras. *Homines* pro seruis in *Plauti* Menaech. Act. V. Sc. 5. legi, *Douza F.* arbitratur. *Gellius* vtique Lib. V. cap. 14. quem *seruum Androclum* vocauerat, mox *hominem Androclum* adpellat. Quod si ex hisce aestimare dictum nostrum voluerimus, magni ponderis redundabit sensus. Nempe enim, habitu conspiciendum sese in hac terra Christus praebuit vestibusque perquam vilibus, vt non Dominorum Dominum, sed ἄνθρωπον seruum & infimae conditionis ministrum videre Te existimes. Hoc est exemplum, quod imitandum reliquit Christianis, quos ex habitu atque incessu cognoscendos statuit antiquitas.

GENES.

GENES. II. 24.

על כן יעזב איש את אביו ואת אמו ודבק באשתו
והיו לבשר אחד:

Quapropter relinquet vir patrem ſuum & matrem ſuam; & adhaerebit vxori ſuae, eruntque caro vna.

PRolubium nobis eſto in collatione ſententiarum apud gentiles recurrentium cum diuino effato, operam qualemcunque collocare. Priora legas in *Platonis* Phaedro pag. 204. vbi de anima amore cuiusdam capta, haec habes: Ἡδονὴν δ' αὖ ταύτην γλυκυτάτην ἐν τῷ παρόντι καρπεῖται, ὅθεν δὴ ἑκοῦσα εἶναι οὐκ ἀπολείπεται. οὐδέ τινα τοῦ καλοῦ περὶ πλείονος ποιεῖται, ἀλλὰ μητέρων τε καὶ ἀδελφῶν καὶ ἑταίρων πάντων λέλησται. *Fruitur interim iucundiſſima illa voluptate in praeſenti vsque adeo, vt ſponte nunquam inde recedat, neque alium quemquam pluris faciat quam amatum, ſed matrum, fratrum, ceterorumque obliuiſcatur.* Subiicit: τοῦτο δὴ τὸ πάθος - - ἄνθρωποι Ἔρωτα ὀνομάζουσι. *Atque hunc adfectum Amorem nuncupant homines.* Cum poſtremis faciunt, quae in eiusdem Sympoſio p. 183. de innato ſexus vtriusque mutuo amore, differuntur, quem hoc

hoc semper moliri scribit, ποιῆσαι ἓν ἐκ δυοῖν, *vnum efficere ex duobus.* Mox adducitur Vulcanus, efflictim sese inuicem amantes ita adloquens: Ἄρ' οὖν τόδε ἐπιθυμεῖτε, ἐν τῷ αὐτῷ γενέσθαι μάλιστα ἀλλήλοις; *Ergone hoc desideratis, in vnum vos quam maxime congredi?* Paucis interiectis pergit: εἰ γὰρ τοῦτο ἐπιθυμεῖτε, ἐθέλω ὑμᾶς συντῆξαι καὶ συμφῦσαι εἰς τὸ αὐτὸ, ὥστε δύο ὄντας ἕνα γεγονέναι: *Id sane si expetitis, liquefaciam vos & conglutinabo, vt, quum duo sitis, vnum fiatis.* Et: Ἀλλ' ἀτεχνῶς οἰοιτ' ἂν ἀκηκοέναι τοῦτο - - - συνελθὼν καὶ συντακεὶς τῷ ἐρωμένῳ ἐκ δυοῖν εἷς γενέσθαι. *Vere enim putabat audiuisse se illud, congrediendo miscendoque cum amato corpus, ex duobus fieri vnum.* Idem confirmat *Achilles Tatius* Lib. I. p. 13. memorans se, quamuis in somno, συμφύναι τῇ παρθένῳ τὰ κάτω μέρη, *in vnum coaluisse cum virgine, quoad inferiores partes,* idemque, vt vides, cum Platone vsurpans vocabulum, huic negotio congruum. Τὰ κάτω μέρη alias Graeci vocant τὰ ὑπὸ τὴν γαστέρα, veluti *Basilius M.* de legend. Graec. cap. 18. aut vno nomine τὰ ὑπογάστρια, vt *Mich. Psellus* de operat. Daemon. p. 74. Huc etiam spectat *subscalpens circa ima pectoris voluptas,* quam *Martianus Capella* de nupt.

Philolog. & Mercur. Lib. I. col. 3. nominat. Denique exoſculabimur maiorum noſtrorum cineres, de quibus egregium *Tacitus* cap. XIX. aeternitati commendauit teſtimonium: *Sic*, inquit, *vnum accipiunt* (feminae) *maritum*, *quomodo vnum corpus vnamque vitam.*

LVCAE XXIV. 1.

ὄρθρου βαθέος.

Profundo mane.

QVid hoc ſit, diligentius aliis inquiſiuit *Beza*; neque tamen veterum quendam producere quiuit, qui ſic loqueretur. Recordari debemus *Platonis* noſtri, penes quem in dialogi, cui Criton eſt nomen, limine exſtat ὄρθρος βαθὺς, & *Phlegontis* maxime *Tralliani*, in cuius mirabilium cap. 1. totidem legimus litteris: ΟΡΘΡΟΥ δὲ ΒΑΘΕΟΣ πλῆρες ἦν τὸ θέατρον, *ſummo mane refertum hominibus fuit theatrum.* Atque ſic conuenit Lucae cum ceteris, etiam cum ipſo Matthaeo, qui ἐπιφώσκειν adhibet Cap. XXVIII. 1. Miſeret profecto me interpretum

tum omnium, qui tot iam seculis adeo negligenter tractarunt textum Matthaeanum, quantumuis non sine magno verborum strepitu res suas egerint. Nam haec: ὀψὲ δὲ σαββάτων, nullo modo cum sequentibus cohaerent, referenda ad finem antecedentis capitis. Ista vero: τῇ ἐπιφωσκούσῃ (ἡμέρᾳ scilicet) εἰς μίαν σαββάτων, ἦλθε κτλ. noui capitis initium constituunt, eo sensu, quem reliqui historiae sacrae scriptores exigunt. Vberius ista commonstrarem, nisi Virum Cl. *Iac. Gussetium* in commentar. L. Ebr. radice רחם fol. 640. seq. industriae nostrae anteuertisse deprehenderem. Et quamuis ea emendatio diu ante commentariorum istorum Ebraicorum lectionem nobis in mentem venerit: nolumus tamen argumentis de propria penu depromtis illam firmare, quum magis idonea producere non possimus iis, quae a Viro singularis ingenii submini strata iam sunt, ad quem proinde Lectorem amandamus. Profundum diluculum in memoriam vocat concubium noctis, quod tempus Graeci ἀωρὶ τῆς νυκτὸς adpellant. Qua occasione indicandum est, quorsum respexisse nobis videatur *Suidas* v. Ἀωρία, haec tantum, ἀωρὶ τῶν νυκτῶν, ex veteri scriptore, quem haud

nominat, adferens. Doctissimi equidem Editoris coniectura est, ex Aristophane illa petita. Ego vero ex *Antiphonte* arbitror. Hic enim non modo orat. II. p. 30. sed & orat. III. p. 36. ΑΩΡΙ ΤΩΝ ΝΥΚΤΩΝ habet, addito vtroque in loco, quod non praetermittendum, articulo, quem in Comico frustra quaeras. Etiam in singulari ἀωρὶ τῆς νυκτὸς exstat in dicto oratore orat. V. p. 47. Est igitur satis vero simile, ex hoc potius quam illo paucula isthaec sumsisse Lexicographum. Sed haec fusius pertexere, alienum est ab instituto nostro. Verendum insuper, ne post tabulam lateat Apelles, sutoris iudicium, vltra crepidam sapientis, irridens.

PSAL. XXIV. 7.

שאו שערים ראשיכם והנשאו פתחי עולם ויבא
מלך הכבוד׃

Attollite portae capita vestra, & attollite vos ostia mundi, vt ingrediatur rex gloriae.

LVx, spero, accedet huic loco ex Romanorum more, cum locutione nostra componendo. Consulibus per viam euntibus,

bus, quisque locum facere debebat, praeeunte lictore, qui honorem isthunc exhibere iubebat omnes, verbis: *Date viam Consuli, facite, plateae pateant.* Discamus vel ex his *Plauti* Aulul. Act. III. Sc. 1.

Optati ciues, populares, incolae, accolae, aduenae omnes
Date viam, qua fugere liceat, facite totae plateae pateant.

Quid enim opus, multis declarare, quae vndecennibus Magistrorum pueris nota sunt? Quasi loquatur anteambulo Messiae, Ioannes, ita voces concipiuntur. Nam is erat φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ. Ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ, Matth. III. 3. &c. Iter instituamus ad veteres templi Hierosolymitani portas, vltro patefactas quadraginta ante subuersionem annis, prout calculum ineunt Talmudistae cum Hierosolymitani in *Ioma* fol. 43. col. 3. tum Babylonici ad eundem tractatum fol. 39. b. indeque auctor *Schalschel. hakkab.* fol. 26. b. Iudaei denique omnes, repugnante *Iosepho*, qui Lib. VII. de Bel. Iud. cap. 31. iuxta diuisionem Graecam, non longe ab initio, quatuor duntaxat annos numerat, & recte quidem, grauiter ac copiose commonstrante

Wagenseilio in Tel. Ign. Satan. p. 311. seqq. Ita profecto decebat ex magnifica templi porta, sponte patefacta, egredi illum, qui templi hucusque fuerat Dominus, cuius praeterea egressum praedicebat vox: μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν, apud *Flauium* l. c. p. 961. cui praelusit, quod ex Veritatis ore manauit, Ioann. XIV. 31. ἄγωμεν ἐντεῦθεν.

IOANNIS I. 20.

Καὶ ὡμολόγησε, καὶ οὐκ ἠρνήσατο.

Et professus est, neque negauit.

NOn modo Ioanni solenne est, quod affirmauit, oppositi negatione addita explicare, quemadmodum ex Io. I. 3. 1. Io. II. 4. 27. adparet, verum & ceteris rerum diuinarum scriptoribus, Lucae puta, Cap. I. 20. & Paulo, Ephes. V. 15. 17. 1. Timoth. II. 7. ceterisque. Nec profani Auctores hoc fastidiunt, ex quibus locutioni nostrae quam maxime similia proferemus nunc exempla, quum reliqua, sed longius abeuntia, occupasse videam *Sebast. Pfochenium* §. XLVIII. Prorsus vt Euangelista, sic etiam *Sophocles* loquitur in Antig. v. 453.

Καὶ

Καὶ φημὶ δρᾶσαι, κ' ἐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή.
Aio me feciſſe, & non nego; ac *Lyſias* orat. I. pag. 14. ἐκ ἠμφισβήτει, ἀλλ' ὡμολόγει ἀδικεῖν, *non contendebat, ſed fatebatur iniuſte ſe feciſſe.* Iterum orat. III. pag. 49. ἀλλὰ ψεύδηται, καὶ ἐκ ἀληθῆ λέγει, *verum is mentitur, neque vera loquitur.* Denuo orat. XI. p. 157. τοῦτο μέν τοι ἐ φεύγω, ἀλλ' ὁμολογῶ σοι, *hoc non detrecto, ſed largior tibi.* Adde illud ex initio orat. XXV. ὧν ἐπιλελῆσθαι καὶ ἐδ' ἀναμνησθήσεσθαι ἐνίους αὐτῶν νομίζεις, *quorum oblitos eſſe, nec memoriam ſeruaturos amplius aliquos ex illis exiſtimas*; itemque iſtud *Antiphontis* orat. III. p. 36. ἔστι δὲ ἐκ ἀπεικὸς, ἀλλὰ εἰκός, *eſt non abs re, ſed veriſimile*, hoc denique *Iſaei* orat. VI. p. 495. ἐκ ἀγνοῶν, ἀλλὰ σαφῶς εἰδώς, *non ignarus, verum plane cognoſcens*, & confer cum Paulinis verbis Epheſ. V. 15. μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλ' ὡς σοφοί. Alia adhuc proſtant huius monetae in oratoribus Graeciae potentiſſimis ſpecimina. Modo nominatus *Iſaeus* orat. V. non longe ab init. ὁ γὰρ ἀγὼν ἐ μικρὸς αὐτοῖς, ἀλλὰ περὶ τῶν μεγίστων, *certamen illis non exiguum, ſed de rebus maximis incumbit.* Idem orat. X. p. 582. οἶμαι ἐδ' ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀλλ' ὁμοίως εἰδέναι πάντα, *puto vos non ignorare, ſed pariter potius ſcire omnia.* Eſt

& in *Dinarchi* orat. contra Demosth. p. 42. locus: οὐ γὰρ ψεῦδος ἔστιν, ἀλλὰ καὶ λίαν ἀληθές, *non falsum, sed plane verum*, componendus cum Roman. IX. 1. Ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριστῷ, οὐ ψεύδομαι. Neque, arbitror, incongruum erit, illa *Antiphontis* quae statim post allata ex eo occurrunt: ἐσωφρόνουν καὶ οὐκ ἐμαίνοντο, *prudentes fuerunt, neque insaniuerunt*, contendere cum his Apostoli in Actis Cap. XXVI. 25. οὐ μαίνομαι, ἀλλὰ σωφροσύνης ῥήματα ἀποφθέγγομαι. Nolo immensas obseruationum pandectas congerere. Iam abunde dictum. Si quis ineptiarum aucupes, vmbrarum veterum piscatores, & syllabarum otiosos venatores nos adpellauerit, sciat, euitandi pleonasmi Ebraei caussa (quem inaniter heic quaerit, vt saepe alias, *Theod. Beza*,) hanc farraginem allatam fuisse. I nunc, ac phraseologiam pure Graecam Atticamque esse nega. Adeo caute versandum est in admittendis Ebraeam indolem spirantibus loquendi generibus. Profecto locum inprimis heic sibi dari postulat illud, nescio cuius: Μηδὲν ἄγαν.

PSAL.

PSAL. XL. 7.

זבח ומנחה לא חפצת אזנים כרית לי׃

Sacrificium & munus noluisti, sed aures parasti mihi.

EPIST. AD EBR. X. 5.

Θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι.

Sacrificium oblationemque noluisti, corpus vero adaptasti mihi.

COnciliatio praesentium locorum solicitos habuit multos. Placent prae aliis, qui auctorem epistolae ad Ebraeos LXX. interpretum sequi auctoritatem adfirmant: apud hos vero lectum olim ἠθέλησας ὠτία, vnde repetito elemento vltimo ab imperito librario substitutum ἠθέλησας σῶμα. Vna mente consentiunt de hacce coniectura *H. Grotius* ad hymnum cit. *Alex. Morus* ad Ebr. l. c. Decanus Paulinus, *Ouerallus*, in *Casaubonianis* pag. 92. *Steph. le Moyne* ad Var. Sacr. p. 744. quibus nuper accessit V.C. *Lambertus Bos* prolegom. ad edit. LXX. virale cap. 3. At sic veterrimum esse mendum oporteret, quod iam ante tempora

scriptoris epistolae ad Ebraeos in optimos quosuis codices sese ingessisset. Ego vero statuere mallem, adagium fuisse Ebraeis, *aures parare alicui*, notans, dicto quempiam efficere obedientem. Namque verbum כרה hic non *perfodiendi* sensu occurrere, neque a seruis imaginem esse petitam, probe obseruauit diligens Ebraicarum vocum inquisitor, *Gussetius* fol. 402. cui ex merito adplaudimus. Prouerbii illius, vt multorum adhuc, nihil amplius supereſt. Nec versionis τῶν ὁ. auctoribus vel notum, vel aptum visum fuit, quod in Graecam linguam transfundi possit. Nos Germani, aures alicui facere dicimus, quem auscultare iubemus. Latini *aurem vellere*, pro monere. Auris enim memoriae sedes. *Plinius* XI. 45. *Est in aure ima*, inquit, *memoriae locus, quem tangentes attestamur. Est post aurem aeque dextram Nemesios, quo referimus tacto ore proximū a minimo digitū, veniam sermonis a Diis ibi recondentes.* Græci interpretes, non inuenientes quomodo prouerbialē dicendi Ebraeorum rationem satis commode exprimere queant, voluerunt sensum quam verba sistere. Conueniet igitur *aures parare*, hoc est, obsequentem serui instar reddere, cum

cor-

corpus aptare, inprimis vbi σῶμα pro seruo positum crediderimus, contradicente licet *Moro*, cuius animum si subiissent, quae *Mauſsacus* ad Harpocrat. v. ἀφανὴς οὐσία magno & fidente paratu comportauit, aliter sine dubio iudicauissent. Hinc & ὑποχείριον σῶμα, pro eo qui in nostra est potestate, & mancipio, apud *Lysiam* orat. III. p. 46. vti ἐλεύθερον σῶμα pro libero, apud *Plutarchum* in vita Lycurgi oratoris pag. 842. apud *Dinarchum* orat. aduersus Demosth. p. 15. & sexcentos adhuc alios. Verum, perituraе parcam chartae. Concedet humanitas Lectoris, aliam facere coniecturam, si prior illa repudianda. Tam in iis quae antecesserant, quam quae subsequuntur, de animalibus ad sacrificia destinatis loquitur Dauid. Iam vero auditu praedita sunt animalia pleraque omnia tam subtili, vt quae eminus fiunt, absque labore percipiant. De ceruis *Plinius* VIII. 32. *Cum erexere aures, acerrimi auditus: cum remisere surdi.* Quae ex *Aristotelis* Histor. Animal. IX. 5. naturalis historiae conditor hausit. De aliis tradunt similia alii. Sunt & ad dominorum imperia parata animalia, plus saepe quam serui. Sed haec ad Dominum Dominorum, qui seruum se omnium nomi-

nominauit, sine grano salis trahi nolo. Paulus, vel quisquis auctor est epistolae ad Ebraeorum gentem scriptae, non aures animalium, sed corpora respicit. Atque sic sensus foret. Nunc victimarum corpus minime desiderari, sed Messiae ipsius. Alludit forsan ad Vet. Testamenti corpora, siue victimas, v. g. ad גופו של כבש פסח corpus agni Paschalis, Iudaeorum scriptis perquam celebre. Natatoris Delii instar esto illis, quorum captum superant Rabbini, *Buxtorfius* F. ex cuius dissertatione Philologico-Theologica sexta, de coenae Dominicae primae ritibus & forma tractante, §. XXV. petant, vsibus quae profutura sentiant suis.

EPIST. AD GALATAS V. 15.

Εἰ δὲ ἀλλήλους δάκνετε καὶ κατεσθίετε, βλέπετε μὴ ὑπὸ ἀλλήλων ἀναλωθῆτε.

Quod si alii alios mordetis & deuoratis, videte ne alii ab aliis consumamini.

VTi mordere se inuicem canum est; ita deuorare mutuo piscium. Et hanc similitudinem dubio procul ex animalium regno desumsit Apostolus. Posterius Graeci vnico

vnico verbo ἀλληλοφαγεῖν adpellant. *Plutarchus* prouerb. Alexandr. VIII. ὁ κεφαλὸς τῶν ἄλλων ἰχθύων ἀλληλοφαγούντων, μόνος ἀπέχεται τῆς σαρκοφαγίας: *mugil, quum alii ſeſe inuicem piſces deglutiant, ſolus ſe abſtinet carnis eſu.* Etiam de piſcibus *Ariſtoteles* Hiſtor. Anim. VIII. 2. ἀλληλοφαγοῦσι δὲ πάντες μὲν, πλὴν κεφαλοῦς, *omnes ſe mutuo deuorant, excepto mugile.* Idem libri cit. cap. 3. circa finem de auibus adhibet. Rurſum Lib. IX. 1. εἰσὶ δ' οἱ κύκνοι ἀλληλοφάγοι μάλιστα τῶν ὀρνέων. Quare ferinos deponendos mores ſuadet Apoſtolus illis, qui hominum, & quidem Chriſtianorum, titulo ſuperbire velint. Turpe ſiquidem eſt, calcitrare cum aſinis, pungere cum ſerpentibus, cum canibus adlatrare, ferire cum bobus, aut aliorum animalium agere imitatorem. Verum, vt difficile eſt piſcem ſpinis carentem, ita hominem ſine fraude inuenire, vere pronunciauit Archytas, referente *Aeliano* Var. Hiſt. X. 12. Etenim *ab homine homini quotidianum periculum*; &, *homini perdere hominem libet*, ſapienter, more ſuo, ſcribit *Seneca* epiſt. 103. Hoc eſt, quod *Plautus* Aſinar. Act. II. Sc. 4. 88. ait: *Lupus eſt homo homini.*

I. SA-

I. SAMVEL. XVII. 44.

אתנה את בשרך לעוף השמים ולבהמת השדה:

Dabo carnem tuam volatili coelorum, beſtiaeque agri.

BEllica phraſis eſt, qua mortem hoſtibus minamur. Antiquiſſimis enim temporibus occiſi in bello tumulis haud inferebantur: iacebant per agros inſepulti, ferarum auiumque cibus. Tandem Hercules, tot beneficiorum auctor, primus cadauera per pactionem ſuis ad ſepeliendum conceſſit, *Aeliano* teſte, Var. Hiſt. XII. 27. qui & fide Homeri, quantum ad proiectionem trucidatorum attinet, nititur. Comitem dabimus *Sophoclem*, cuius in Aiace flagell. v. 841. ſeq. teſtimonium ita ſe habet:

Καὶ μὴ πρὸς ἐχθρῶν τε κατοπλευθεὶς πάρος
ῥιφθῶ κυσὶ πρόβλητος, οἰωνοῖς θ' ἕλωρ.

Ne ab hoſtium aliquo conſpectus prius, proiiciar canibus atque volucribus lanianda eſca. Et in Antigone v. 210.

Ἐᾶν δ' ἀθαπτον, μὴ πρὸς οἰωνῶν δέμας
μὴ πρὸς κυνῶν ἐδεστόν. — —— —

Relinquere inhumatum auibus corpus, & cani-

canibus edendum. Confer ibid. v. 1197. seq. Hectoris cadauer volucribus ac canibus destinauerat Achilles; quo allusum ab *Horatio* Epod. XVII.

Vnxere matres Iliae addictum feris
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem.

Animus erat Goliatho, simili ratione Dauidem, armis prostratum, volucribus ad escam proiicere. At stylum inuertens Dauid, aduersarium tali supplicio puniendum affirmat commate 46. Infert ergo illa locutio grauissimam poenam, quam nonnisi acerrimi hostium subire coguntur. Quomodo intelligere debes loca Psal. LXXIX. 2. Ierem. VII. 33. XVI. 4. XIX. 7. XXXIV. 20. Apoc. XI. 8. 9. Ceterum, facinorosos eodem adfectos supplicio legimus. Sed illi huc minime pertinent, dandaque opera, ne, quae seiungenda sunt, inuicem misceantur.

MATTH. XXVII. 5.

Ἀπήγξατο. *Seipsum strangulauit.*

TAm ornate, abundanter, atque docte, de hoc verbo differuerunt immortalis famae viri, Salmasius, Heinsius, Pricaeus, Salde-

Saldenus, Fellerus, Stolbergius, Hammondus, Clericus, Iac. Gronouius cum Perizonio, vt vel nulla plane, vel pauciſſima veterum loca ſupereſſe cenſeam, quae illorum ſagacitatem ac induſtriam effugerint. Ipſi vero Viri docti in diuerſa abeunt, aliis ſolam, quae laqueo, peragitur, ſuſpenſionem admittentibus, aliis ad dolorem animi, eiusque anxietatem & inde ortam mortem, valorem vocabuli extendentibus. Ego, vti in quamplurimis Auctorum teſtimoniis, ipſoque Matthaei noſtri textu, eum deſignari exiſtimo e vita exceſſum, quem laqueo gulae adpoſito ſibi quis accerſit: ſic alteram illam ſignificationem temerario auſu minime reiiciendam iudico. Ad primam notionem pertinet Diana ἀπαγχομένη, memorata non modo a *Pauſania* in Arcadicis, cauſſam eius adpellationis ſimul pandente, verum etiam a Callimacho in Αἰτίοις, apud *Clementem Alexandr.* λόγῳ προτρεπτικῷ p. 24. ſicuti Rhodii in honorem Helenae Δενδρίτιδος ab ancillis comprehenſae, atque ex arbore ſuſpenſae, fanum conſecrarunt, narrante iterum in Laconicis *Pauſania.* Alterum τὸ ἀπάγχεσθαι ſignificatum euidentiſſime adhuc probauit *Ariſtoteles* Politic. VII. 7. At non mino-

minori perſpicuitate gaudet *Andocidis* locus in orat. I. p. m. 235. quem, vtpote nondum alicui, quantum nos ſcimus (quibus ſupra laudati ſcriptores nec ad manum nunc ſunt omnes, nec ab illis collectae auctoritates ita menti inhaerent, vt ad vnguem teneamus) notatum, operae erit pretium adducere integrum. Narrat orator, Calliam ſacerdotem duxiſſe vxorem Iſchomachi filiam, & vix transacto anno, matrem praeterea illius matrimonio ſibi iunxiſſe. Quid interea coniux illa prior? Ἡ δὲ Ἰσχομάχου θυγάτηρ τεθνάναι νομίσασα λυσιτελεῖν ἢ ζῆν ὁρῶσα τὰ γινόμενα, ἀπαγχομένη μεταξὺ κατεκλίθη. Καὶ ἐπειδὴ ἀνέβίω, ἀποδράσασα ἐκ τῆς οἰκίας ᾤχετο. *Ipſa vero Iſchomachi filia, mori vtilius eſſe quam viuere, & ea, quae fiant, intueri, ſecum cogitans, animi interim deliquium paſſa, reclinato corpore decubuit; ſed poſtquam ad ſe rediit, domo aufugiens abiit.* Hic profecto locus niſi probauerit per ἀπάγχεσθαι aliud quam ſuffocationem faucibus praecluſis factam declarari, nullus, opinor, alius perſuadebit. Quam prudenter, compoſite, rotunde & accurate loquitur ſummus & perfectus in facundiae ſtudio Andocides? Feminam ait ſecum reputauiſſe grande ſce-

lus, quippe quod eundem cum matre haberet maritum; hinc mentem ipsius cogitationem subiisse, annon praestaret diem claudere, quam sic viuere. Dum igitur in varia animus trahitur, interim vel criminis atrocitate, vel consilii inopia ἀπάγχεται, sic vt necesse habuerit κατακλίνεσθαι. Mox vitae quasi restituitur, atque Lares linquit. At impossibile est illam ἀναβιῶσθαι, quae laqueo suspensa semel fuit. Sic ego Pedaneus Senator censeo. Vtrum recte, an secus, dispiciant, qui emunctis praediti sunt naribus.

DEVTERON. XXVI. 5.

ארמי אובד אבי׃

Syrus periturus erat pater meus.

SYrus vocatur Iacobus (nam hunc intelligendum esse, & historiae & consensus omnium comprobant) ob diuturnam in Syria commorationem, vbi per viginti annos in seruitute fuit apud Labanem, Genes. XXXI. 38. 41. quomodo & Christus ab educationis loco Nazaraeus audit. Latine *Syriensis* reddere debent, qui probe loqui volunt. Hoc iam vidit *Grotius*, cuius acumen perui-

peruidit omnia. Consulere poteris non minori sagacitate instructum, *Is. Casaubonum* ad Aelii Spartiani Hadrianum p. m. 6. qui Te discrimen Syrum inter & Syriensem, plene docebit. אובד *periturus* idem est cum paupere, adeo misere vitam transigente, vt perire prorsus videatur. Euolue, si dubitas, Prouerb. XXXI. 6. Talis erat conditio Iacobi in Syria; aestus illum interdiu, & gelu absumebat noctu. Pereundum itaque fuisset, nisi diuina benignitas auxilium ferens ex paupere effeciisset diuitem. Simile experiebatur fatum Patriarcha, paulo ante abitum in Aegyptum, vbi parum abfuit, quin fame cum suis periisset. Verum hic quoque Deus ex machina proruperat. Tot igitur beneficiorum memoriam recolere oportebat posteros, fructuum primitias oblaturos. Par erat profiteri publice, Iacobum cum posteritate omni non longe ab exitio, quod paupertas & fames illi minabantur, remotum fuisse: at Dei beneficio ereptum ex praesenti periculo, numerosam vidisse sobolem, rerumque copia sic abundauisse, vt reditibus vel Croesum prouocare potuisset. Libenter soleo gentilium consuetudines cum Ebraicis conferre, vt pateat, illos ab his

multa sumsisse, integrumque profanae eruditionis adparatum ad sacri Codicis illustrationem referri posse. Neq; tamen omnia quae ad mutuam collationem, quantum ad primitias, faciunt, congerere animus est; illi etenim argumento angusta est haec observatio. Quare hoc tibi debitum, lector, alio tempore persoluam. Vnico nunc mecum contentus esto. Graeciae ciuitates pleraeque frumenti primitias mittebant quotannis Athenas, eo quod Cereris beneficentia frugum inuentio in Attica contigerit. Atque hoc faciebant in ὑπομνήματα τῆς παλαιᾶς εὐεργεσίας, ait *Isocrates* in Panegyr. p. 46. edit. H. Steph. Et Iudaei Hierosolymam deferebant primitias, summoque Numini consecrabant, gratum declaraturi animum, ob exhibitam olim Iacobo gratiam. Vlterius, quemadmodum ab Ebraeis primitiae offerebantur canistris, ita quoque a Graecis, penes quos κανηφόροι erant virgines, huic officio dicatae. Corbis in Iudaeorum populo seruilem repraesentabat Iacobi statum. Foenum quippe ac cophinus vilioris fortunae Ebraeorum tota fuit supellex, perquam eleganter obseruante *Ramirefio de Prado* Pentecontarchi cap. XL. Et vt intelligas, quam abiectum fuerit

fuerit instrumentum cophinus, etiam inter Graecos, aures parumper praebe *Nicolao Damasceno* de Boeotis haec narranti: Βοιωτῶν ἔνιοι τοὺς χρέας μὴ ἀποδιδόντας εἰς ἀγορὰν ἄγοντες, καθίσαι κελεύουσιν, εἶτα κόφινον ἐπιβάλλουσιν αὐτῷ. (lege αὐτοῖς) ὃς δ' ἂν κοφινωθῇ, (observa verbum, quod ignorant Lexicographi) ἄτιμος γίνεται. *Boeotorum quidam eos, qui non sunt soluendo, in forum perductos, illic considere iubent, atque tum cophinum superiniiciunt. Is vero, cui poena cophini irrogatur, fit infamis.*

LVCAE XIII. 32.

Εἰπατε τῇ ἀλωπέκῃ ταύτῃ.

CVr Vulpi? Rationes edifferent tam Ebraei, quam Graeci. Est insignis locus in *Schemoth rabba* fol. 113. col. 4. vnde praestantiora duntaxat petemus, bona fide Rabbinica Latine conuertentes. *Quando diuinus Codex regna mundi conferre gestit, ea nonnisi cum bestiis componit, iuxta illud* Dan. VII. 3. Tum quatuor bestiae magnae adscenderunt e mari. *At Aegyptios cum vulpibus comparat*, idque sequentibus de causis.

sis. *Prout vulpes paruae sunt, respectu ceterorum animalium, sic Aegyptiorum imperium, si cum aliis committatur, exiguum est*, Q. S. Ezech. XXIX. 15. prae reliquis regnis humile erit. *R. A. F. R. S. dixit, astuti fuere Aegyptii, eoque cum vulpibus conferuntur. Sicut enim callide incedit vulpes, retrorsum saepe vultum vertens: ita Aegyptii facie retrorsum versa ambularunt.* Hoc est, vt *R. D. Kimchi* ad Cantic. II. 15. exponit clarius: Vulpes ad fugam saepe conuertunt retrorsum vultum; atque sic Aegyptii tandem meditabantur fugam, Exod. XIV. 25. Specimen calliditatis Aegyptiacae collector τῶν Rabboth, *Rabba bar Nachmoni*, ex loco Exod. I. 10. promit, introducens Aegyptios in hanc sententiam loquentes: *Quodsi gladio Israelitas adgredi conaremur, Deus ensem in nos retorquebit; si igne illos vexare, ipse illico in nos immittet ignem. At vero nouimus, iureiurando promisisse Numen, non se aquarum diluuium posthac aduecturum. Congrediemur itaque aquis cum Israelitarum gente, quibus nos Deus obruere non poterit*, quin simul Israelitae pereant. Elusit nihilominus Iehoua stultam illorum astutiam, vulpiumque, siue Aegyptio-

gyptiorum, portionem dedit aquam, quo trahit Psalmum LXIII. 11. Aliud cape vulpini vaframenti exemplum. *Aegyptii proprios infantes in aedibus Israelitarum deposuerunt eosdemque ad fletum vsque pupugerunt; vnde factum, vt quum paruulus plorantis audierit vocem socii, ipse pariter eiulare occeperit*; quo pacto infantulum illic delitescere animaduerterunt, *ac in profluentem abiecerunt aquam.* Haec ipsa leguntur in *Sota* fol. 12. a. Nec solos Aegyptios, verum quoscunque a fide Iudaica alienos, vulpes nominant Verpi. Quod, nescio quo fato, neglexit *Eisenmengerus*, Parte I. cap. 16. Iudaismi detecti, de variis conuitiis, quibus diuersae religionis homines, & Christianos maxime, proscindunt olentes Iudaei, sat copiose tractans. Lege, si potes, & libet, siue fabulam, siue historiam, in *Maccoth* fol. 24. a. consignatam, & quid sit Vulpes, attende. Nostrum non est, cerebrosorum nugas & γεραώδεις μύθους sectari. Iam ad Graecos. Et hi vaferrimos quosque sic adpellant. *Theocritus* Idyll. V. 25.

Καὶ πῶς, ὦ κίναδ', εὖ τάδε γ' ἔσσεται ἐξ ἴσου ἄμμιν;

Et quomodo, o versute, recte haec erunt ex

aequo nobis? Vbi *scholiastes* non tantum πανοῦργον intelligit, sed & addit: οἱ Σικελιῶται γὰρ τὴν ἀλώπεκα, κίναδον προσαγορεύουσι· τοιοῦτον γὰρ τὸ ζῶον πανοῦργον. *Siculi vulpem* κίναδον *vocant; est enim animal maxime astutum.* Forte pro κίναδον rescribendum κίναδιον, diminutiuum. Id enim de Siculis testantur *Harpocratio* & *Suidas* v. Κίναδος. Legitur quoque ἐπίτριπτον κίναδος, quod grauius quid est. *Sophocles* Aiace flagell. v. 103.

Ἢ τοὐπίτριπτον κίναδος ἐξήρπε μ' ὄπτε;

De perditissima vulpecula interrogas me, vbinam sit? Compellat ibi Vlyssem Aiax. Iuuat & huius *scholiastam* consulere, per ἐξώλες θηρίον καὶ πανοῦργον, *noxiam vaframque bestiam*, interpretantem. Confer *scholiastam Aristophanis* ad Nubes p. 153. b. Quare συκοφάντην & ἐπίτριπτον κίναδος iunxit *Andocides* orat. I. p. m. 222. Et *Dinarchus* orat. aduersus Demosth. pag. 25. Demosthenem eiusque socios, pecunia corruptos, & mala Reipubl. consulentes, κιναίδη adpellat. Accedat *Simonides*, qui in iambis περὶ γυναικῶν ita:

Τὴν δ' ἐξ ἀλιτρῆς Θεὸς ἔθηκ' ἀλώπεκος,
Γυναῖκα πάντων ἴδριν· οὐδέ μιν κακῶν
Λέληθεν οὐδέν, οὐδὲ τῶν ἀμεινόνων.
Τὸ μὲν γὰρ αὐτῶν ἐς πολλάκις κακόν,
Τὸ δ' ἐσθλόν, ὀργὴν δ' ἄλλοτ' ἀλλοίην ἔχει.

Id

Id est, *Georgio Buchanano* interprete:

Aliam e scelesta vulpe formauit Deus,
Quae cuncta nouit, nec boni quicquam aut mali
Ignorat: hoc in genere plurimum boni
Inest, malique plurimum: ac saepe temere
Modo huc, modo illuc flectit ira mobilis.

Siue igitur ex Ebraeorum, siue exterorum mente locutus fuerit Saluator noster, ad versipellem quadrabunt Herodem omnia. Fuit enim & natione, vt multi sibi persuadent, alienigena, & clandestinus Iudaeorum hostis, & veterator magnus, & in boni malique discrimine non leuiter edoctus. Nullum foret negotium, plura cumulare. Sed non faciam. Neque lectores meos hac adficiam contumelia, tanquam de illorum facultate diuinandi dubitare vellem.

GENES. III. 6.

ותרא האשה כי טוב העץ למאכל וכי תאוה הוא לעינים ונחמד העץ להשכיל:

Et vidit mulier, bonam esse arborem in cibum, gratissimam oculis, & desiderabilem ad comparandam intelligentiam.

VTi posterius arbori scientiae peculiare prorsus fuit; sic duo priora cum aliis

arboribus habuit communia. Arbores puta praestantissimas, & perfectae pulchritudinis, qualem describit *Aelianus* Var. Hist. II. 14. pag. 91. Τῆ φυτῆ κάλλος ἐκεινό ἐςιν, ἐυγενεῖς οἱ κλάδοι, καὶ ἡ κόμη πολλή, καὶ σερεὸν τὸ τρέμνον, καὶ αἱ ῥίζαι ἐν βάθει, καὶ διασείοντες οἱ ἄνεμοι, καὶ ἀμφιλαφὴς ἡ ἐξ αὐτῆ σκιά, καὶ ἀναστρέφουσαι αἱ ὧραι, καὶ ὕδωρ τὸ μὲν διὰ τῶν ὀχετῶν ἐκτρέφον, τὸ δὲ ἐξ ἀέρος ἐπάρδον. Accurate versio *Vulteio-Perizoniana*: *Arbori haec demum est pulchritudo, generosi rami, coma densa, stirps firma, radices in profundum actae, perflantes venti, umbrae ex ea amplitudo, redeuntes iusto tempore anni partes, aqua partim per canales enutriens, partim de coelo irrigans.* Dum venti arbores perflant, id vocat ψιθυρίζειν *Aristophanes* Nubib. Act. III. Sc. 3. p. 181. vbi vide *Bisetum.* Propius ad Mosaicam descriptionem accedit illa florum arborumque horti pensilis καταγραφὴ in *Philone Byzantio* de septem orbis miraculis: ποικίλαι τε καὶ παντοίαι φύσεις ἀνθέων, καὶ πᾶν ἁπλῶς τὸ κατὰ πρόσωπον ἐπιτερπέςατον, καὶ πρὸς ἀπόλαυσιν ἥδιςον. *Varia ibi florum genera, & quicquid aspectu iucundissimum, gustuque gratissimum.* Valet hoc de aliis quoque. *Plinius* H. N. XXXVII. 9. p. m. 672. de paederote gemma: *Nec gemmarum*, inquit, *vlla est liquidior,*

dior, capiti iucunda, ſuauis & oculis. Formoſiſſimam vtique fuiſſe oportet arborem, quae tam vehementer primorum parentum perſtrinxerat oculos. Vnde non ſine cauſſa factum, quod laudes illius ſollicite recenſuerit Moſes. At quomodo cognitionem boni malique ſuppeditare potuerit, meum haud eſt exponere. Proprium hoc eſt illorum, qui in libris Theologicis habitant.

LVCAE III. 14.

Μηδένα διασείσητε, μηδὲ συκοφαντήσητε.

Neminem concutite, neque dolo opprimite.

DVo haec verba non tam longe inuicem diſtare, quam Nilus a ſuis oſtiis, ſed vnum per alterum exponi, ex *Ariſtophanis ſcholiaſta* ad Equit. p. m. 302. & *Suida* v. διασείων, pridem obſeruauit Apollinis & Muſarum delicium, *Ioach. Camerarius* ad h. l. qui & *Heſychii* autoritate vti potuiſſet, idem palam profitentis. Obſeruaui praeter haec inſignem in *Antiphontis* orat. XVI. p. 159. locum, quem omnes, quotquot euoluimus, non attenderunt. Φιλοκράτης, ait Orator, οὗτοσὶ

ἑτέρους

ἑτέρους τῶν ὑπευθύνων ἔσειε καὶ ἐσυκοφάντει. *Philocrates ceteros reos vexauit & calumniatus est.* Vide primum, quam apte σείειν connectat cum συκοφαντεῖν, quod etiam Euangelista facit: deinde, quod vexandi dicantur οἱ ὑπεύθυνοι, inquisitioni obnoxii, quos & *Aristophanes* l. c. p. 301. nominauit, heic conferendus. Eodem sensu σείειν legimus adhibere *Dicaearchum* in βίῳ ἑλλάδος *de statu Graeciae*, pag. 10. Tomi II. Geographiae veteris scriptorum minorum. Scribit de Atheniensibus, quod sint μεγαλόψυχοι, ἁπλοῖ τοῖς τρόποις, φιλίας γνήσιοι φύλακες, *magno animo, simplices moribus, sinceri amicitiae obseruatores.* Addit confestim: διατρέχουσι δέ τινες ἐν τῇ πόλει λογογράφοι, σείοντες τὰς παρεπιδημοῦντας καὶ ἐυπόρους τῶν ξένων. Vir CL. *Io. Hudson*, commentationem Stephanianam secutus, vertit: *Quidam autem rabulae per vrbem discurrunt, calumniis exagitantes hospites & peregrinos ditiores.* Quae nos loca vel ideo diligenter notabimus, quia ipso scribente *H. Stephano* ad Dicaearchum Tom. XI. Thesauri Antiquitt. Graecarum col. (12.) D. ea verbi huius *significatio valde rara.* In nostro textu, vt & Antiphontis testimonio, vim apertam, sicuti συκοφαντεῖν dolum & fraudem, infert.

Haec

Haec plerumque praecedit, illa sequitur. Insidiae erumpunt in violentiam. Vtrumque nocet; vtrumque prohibetur. Sic itaque *concutere* Graeci dicunt pro vim alicui vel aperte vel clam inferre. Ad posteriorem modum calumniae potissimum pertinent. Pariter διασύρειν, quod alias *distrahere* est, pro calumniari saepius adhibuit *Demosthenes* oratione pro Corona. Verum hic terminus esto.

IESAIAE XII. 3.

ושאבתם מים בששון ממעיני הישועה׃

Haurietisque aquas cum laetitia e fontibus salutis.

PRidem est, cum haec ex ניסוך המים *libatione aquarum*, in festo tabernaculorum solenni pompa celebrata, deducenda ostendi. Non succurrebat tunc locus ex *Bereschit rabba*, a Ligtfooto Hor. Ebr. ad Io. VII. 38. adductus, quem improuide a Viro docto notatum putabamus. At nunc iniuriam illi factam deprecamur, postea quam in Parascha LXX. fol. 64. col. 2. ineunte eundem offendimus. Ecce verba ipsa:

לסה

לפה היו קוראים אותו בית השואבה שמשם היו שואבים רוח הקודש *Quare locum illum, vnde aquas hauriebant*, בית השואבה *vocabant? quia inde hauriebant Spiritum Sanctum.* Postrema mox repetuntur; immo & ante modo allata leguntur. Sed de hac caerimonia, tametsi multa suppetant, nihil addam vlterius. Propositum nunc est, in Graeciam excurrere, ac quid illic, Ebraeorum ritui conueniens, obseruauerimus, paucis enarrare. *Vltimo* Eleusiniorum sacrorum die, *binae* implebantur πλημοχόαι, siue testacea vasa, quorum vnum ad *ortum*, alterum ad *occasum* statuebatur, quae prolato sermone mystico, euertebantur. Quod magnum putabant gentiles *mysterium* inuoluere. Tu nunc mecum considera, quam belle ista Iudaicis ritibus respondeant. In Palaestina, durante festi tabernaculorum solennitate, non *vltimo* duntaxat, quod aliquibus visum, die, sed per integrum *septiduum* vel *octiduum* (diffident enim Magistri) libatio aquarum peragebatur. *Duo* praesto erant *canthari*; is qui ad *orientem* positus vino, qui ad *occidentem*, aqua repletus. Tunc mixtio fiebat aquae cum vino. Neque hoc *mysterio* carebat, quod Saluator tangit, & in Spiritus Sancti

Sancti effusione, Pentecostes festo facta, ex parte impletum nouimus. Tam magnus quum vtrobique inueniatur concentus in sola illa effusione, nonne putandum, longe maiorem adhuc fore per reliqua conspirationem? Ego sane arbitror, & vt idem sentias, mi bone Lector, efficere conabor. *Eleusinia* nomen habent ab Eleusi, Atticae oppido, vbi Ceres post bene longam peregrinationem diuertit, & commorata est. *Tabernaculorum festum* חג הסכות audit, quia *Succoth* primus adpellabatur locus, quo post egressum ex Aegypto venerant Israelitae, vbi quoque, fixis tabernaculis, aliquantulum substiterunt. Porro, vti gentilium illa sacra Μυστήρια nuncupantur κατ' ἐξοχήν, sic & illud, de quo loquimur, חג simpliciter & per excellentiam dicitur. Eleusiniorum sacrorum dies primus erat XV. mensis Boedromionis, vocatus Ἄγυρμός, quia tunc superstitionis cultores congregari solebant. Dies primus festus tabernaculorum itidem XV. erat mensis Nisan, nomine מקרא קדש conuocationis sanctae, Leuit. XXIII. 34. 35. inclutus. Originem festo in Graecia dedit peruagans orbem Ceres, benigne ab Eleusiniis excepta; in Terra Sancta, celebrationis dicti festi caussa prin-

sa princeps fuit memoria protectionis Israelitis praestitae, quum ex Aegypto fugerent, ac per deserta oberrarent multis annis. Sacrificia tum temporis in Hellade oblata, mullus puta Aexonius, hordeum, alia, cedebant in honorem Cereris & Proserpinae, nec sacerdotes quicquam inde recipiebant, quod tamen alias fieri consueuerat; eodem omnino modo, iuuencos, arietes, agnos, hircos immolabant Ebraei, sacrantes ista soli Deo omnia, hircum si exceperis, in holocaustum. Sic & ratione nominis, & temporis, & institutionis, & sacrificiorum congruunt Eleusinia sacra cum festis tabernaculorum diebus. Possem longe plura his adiicere, nisi lectoris industriae aliquid seponere mallem. Alio forte tempore, rituum Ebraicorum ac Graecorum conuenientiam data opera monstrabo. Nullos hac in collatione nominaui Auctores, quia satis illos arbitror cuiuis notos. De Iudaeorum in tabernaculis festiuitate, praeter sacrum codicem, euoluendus tractatus Talmudicus *Succa*, & *Maimonides* in Hilch. Succa. Graecorum Eleusinia sacra tam accurate *Meursius* enodauit, vt nihil supra. Iam satis habes Magistrorum, quos diligenter legisse non poenitebit.

EPIST.

EPIST. AD PHILEMON. commate 20.

Ναὶ, ἀδελφὲ, ἐγώ σε ὀναίμην ἐν Κυρίῳ.

Obsecro, frater, fruar te in Domino.

Frui aliquo, vltimum in amore apicem declarat Graecis aeque ac Latinis. *Musaeus* de Ero & Leandro v. 288.

Κρυπταδίη τέρποντο μετ' ἀλλήλων Κυθερείῃ.
Ἀλλ' ὀλίγον ζώεσκον ἐπὶ χρόνον, οὐδέ τι δηρὸν
Ἀλλήλων ἀπόναντο πολυπλάγκτων ὑμεναίων.

Occulta delectabantur mutuo Venere. Sed exiguo vixerunt tempore, nec diu inuicem fruebantur multiuagis nuptiis. Et versu carminis vltimo:

Ἀλλήλων δ' ἀπόναντο καὶ ἐν πυμάτῳ περ ὀλέθρῳ.

Se inuicem autem fruiti sunt etiam in suprema morte. Ita *perfrui* adhibet *Sulpicius Seuerus* dialogo I. p. 383. *Tu modo*, inquit, *propter quem tot maria transnauigauimus, tantum terrae transcurrimus, complectendum perfruendumque te, remotis omnibus, trade. Potiri* vsurpat *Apuleius* (si is auctor est) in ἀνεχομένῳ:

Amare liceat, si potiri non licet.

Potiri aliquo post longum desiderium, &

ita in eius amorem ruere, vt quasi absume-re totum vellemus, commodissime Iudaei vocant אכל Omnes norunt illud: אין משיח לישראל שכבר אכלוהו בימי חזקיה *Non est Messias* exspectandus amplius *Israelitis. Iam enim abunde eo fruiti sunt tempore Hiskiae*, legendum in *Sanhedr.* fol. 98. b. iterumque fol. 99. a. *Maimonides* in Doctore perplexorum Part. I. cap. 30. varias verbi אכל significationes producit, omissa illa, quae heic obtinet. Recte notauit *H. Grotius* ad Cantic. V. 1. *comedere & bibere, pro re quauis frui frequens Ebraeis.* Etiam *edere, gustare cibum*, in re Venerea vsurpant. Hinc, puto, ambiguitas in historia, quae in Cod. *Chagiga* fol. 5. b. de R. Cahanna narratur. Latitabat is aliquando sub lecto רב Raf, audiens hunc confabulantem, ludentem, ac mox subagitantem vxorem suam. Ad quae ille: דמי פומיה דרב כמאן דלא טעם ליה תבשילא *Os* רב *Raf simile est illi, qui cibum nondum degustauit*, hoc est, tam feruidus in Venerem Raf est, ac si nunquam antea cum muliere rem habuisset. Atque sic intelligendum, quod ex Rabbinica sapientia & impuro scabiosi Doctoris ore manauit, persuadet, quod *os* etiam obscoeno sensu occurrat, quo de

viden-

videndus *Petitus* Miscellan. Observat. III. 2. A Iudaeis forte didicit Pythagoras. Nam & hic per μήτραν ζώας μὴ ἐσθίειν, nil aliud voluit interdicere, quam ὅλην τὴν γενέσεως ἀποχὴν, totius rei Venerae abstinentiam, indicante *Hierocle* in aurea carmina pag. 298. Sed quid ista ad me? Tantum moneo, *frui* esse amantium, & quidem praesentium; *amare* vero etiam absentium. Et Paulus Philemone frui volebat, absente tanquam praesente, amore summo, puro & Christiano.

EXODI II. 3.

ולא יכלה עוד הצפינו ותקח לו תבת גמא ותחמרה
בחמר ובזפת ותשם בה את הילד ותשם בסוף
על שפת היאר׃

Quum vero diutius eum abscondere non posset, sumsit ei arcam iunceam, in qua, bitumine ac pice oblita, exposuit puerulum ad algam, iuxta ripam fluuii.

OFfert se nobis occasio, de infantum expositione apud Ebraeos quaedam dicendi, neglectam non tantum *Seldeno*, ad quem illa cura vel maxime pertinuisset, sed & antiquariis omnibus. Vnicum Mosen ex-

 posi-

positum memorant Talmudistae in Gemara *Sota* fol. 12. a. b. *Iosephus* Antiquitt. II. 5. p. 56. *Philo Iudaeus* de vita Mosis Lib. I. non longe ab initio, *Ezechiel Tragicus* in dramate, cuius titulus erat ἐξαγωγή, & cuius fragmenta leguntur in *Eusebio* Praeparat. Euangel. Lib. IX. cap. 28. *Clementis Alexand.* Strom. L. I. p. 344. f. *Bibliothecae SS. Patrum* Tomo XIV. p. 153. Expositos Iudaei vocant הנמצאים, הנשכחים inuentos, repertos, (Graece diceres χαμαιευρετὸς, vid. *Suidas* hac voce) item המושלכים quos *Plautus* argum. Cistellar. & *Ammianus Marcellinus* XXVIII. 37. proiectitios nuncupant. Proprie אסופים audiunt. Doctissimus Ebraeorum magister, multarumque linguarum profunda cognitione celeberrimus, *Dauid Cohen de Lara* in כתר כהונה radice אסף haec habet: אסופי התינוק שנאסף מן השוק ואינו מכיר לא את אביו ולא את אמו בר׳ פואיר אישפוסיטום׳ Hoc est: אסופי *dicitur infans, ex foro vel loco publico collectus, nec patrem suum nec matrem agnoscens. Romanorum lingua adpellatur* puer expositus. Quicquid de infantum expositione dici potest, congestum inuenire licet in *Kidduschin* fol. 73. a. b. Mentem dabimus Gemaristarum, non verba.

ba. Aiunt ex intentione pariter ac euentu diiudicandam esse expositionem. Namque illum, qui necessitate compulsus, in locum publicum aut viam regiam proiecerit subolem, dici non posse, infantem exposuisse, vti nec partum ipsum expositum, id est, non haberi eo loco, quo alii expositi. Quamobrē in expositorum censum minime referendus, qui circumcisus fuerit inuentus, cuius membra totiusque corporis compages recte se habuerint, qui oleo inunctus, (ad roborandā, puto, debilia membra) qui stibio circumscriptos habuerit oculos (ornatus caussa) cui adpensa pittacia vel amuleta (valetudinis aut bonae fortunae ergo.) Caussam subministrat enarrator Talmudicus, quia isthaec vniuersa curae, amoris atque sollicitudinis erga subolem praebeant indicia. Nec ille exposuisse putandus, qui capsula saligna incluſum infantem in mare proiecerit, euntibus ac redeuntibus nauigiis; quum a praeternauigantibus e vestigio tolli, ab imminenteque vitae periculo liberari queat. Aliter se res non habet, quando maxima premunt discrimina. Ita famis tempore licebat impune abiicere infantes, nullo aut in exponentes aut in expositos redundante vi-

tio. Secus vero se habent omnia, si quis partum malo animo abiecerit. Quare infans in horridas siluas, vbi magna ferarum copia, aut locum, vnde aqua quidem prorumpit, nec tamen naues transeunt, aut sub arborem longe ab vrbe remotam, proiectus, vere habetur expositus. Hunc iura, quibus constricti tenentur proiectitii, seruare decet; quae inter praecipuum est, non ducere puellam expositam, ne forte germanam sororem matrimonio sibi iungat. Iam in promtu est colligere, Mosen expositum vocari minime posse, vti nec parentes eius (matri tribuit codex Ebraeus, patri Iosephus, vtrique auctor epist. ad Ebr. XI. 23.) si iuxta disciplinam Ebraeorum pronunciare voluerimus, exponentes. Eius profecto exemplum est sine exemplo. Mihi tota recens natorũ expositio a moribus gentis Iudaicae aliena videtur. Repugnabant leges diuinae, spes potiundi tandẽ Messia in copiosa prole, nimius erga infantes amor, populo illi hodienum proprius. Tacent adhaec istum ritum Historici aut ex Iudaeis orti, aut qui de Iudaeis aliqua litterarum monumentis commiserunt. Prophetae etiam seueri delictorum reprehensores, nihil eiusmodi commemorant, quod

vtique

vtique serio feciſſent, illo ſi crimine infecta fuiſſet natio. Mentio quidem huius facti apud Ezechielem XVI. 5. verum in imagine tantum; immo non Iudaeis adſcribitur, ſed Emoraeis atque Chitthaeis, commate tertio. Neque huc referre debes Hymnum XXVII. 10. Dauid enim de ſe iam adulto loquitur; at alios praeterquam recens in lucem editos exponere, inſolitum prorſus ac ridiculum. Relictio heic reſpicitur, non expoſitio liberorum. Hanc enim ſi in animo habuiſſet rex, dicendum fuiſſet: *pater meus & mater mea exponunt me.* At *deſerere* in aetate grandiores quadrat, & neceſſitudine coniunctos; quare de coniugibus ipſis adhibetur Geneſ. II. 24. עזב denique tam amplae ſignificationis verbum eſt, vt, quicquid aliqua ratione colligitur recipiturque, inuoluat. Quamobrem exiſtimo, quaecunque in recenſito Talmudis loco, (praeter quem alium, expoſitionem paruulorum tractantem, vix inuenies) leguntur, ad gentilium, tunc temporis viuentium, infantesque ſine poena exponentium conſuetudinem, eſſe compoſita. Congruunt circumſtantiae ad vnum omnes, ſic vt aliter iudicare non valeamus, quam ſanxiſſe Ma-

gistros, quid obseruandum, si quis forte pessimum fuerit morem imitatus. Prout pittaciis & amuletis ornatos supra conspeximus infantulos: ita Graecis erant παίγνια & γνωρίσματα, Latinis crepundia, monimenta, insignia, expositis addita. Si *Ezechieli Tragico* fides habenda, longa horum est antiquitas, quum Mosen illis instructum canat:

— —— — Μήτηρ ἡ τεκοῦσ' ἐκρυπτέ με
Τρεῖς μῆνας, ὡς ἔφασκεν· ἐ λαθοῦσα δὲ
Τ' πεξέθηκε κόσμον ἀμφιθεῖσά μοι.

Mater, quae me peperit, abscondidit metres menses, vt dixit; quum vero latere non posset, exposuit, circumposito mihi ornatu. Κόσμος complectitur sat commode τὰ γνωρίσματα, expositi stirpem parentesque haud obscure monstrantia. De loco expositionis nil attinet dicere, quippe qui veterum historiarum & amoenioris litteraturae studiosis ignotus esse nequit. Paucis: vel solitarius erat vel publicus, plane vt Antecessores Babylonici commentantur. Tandem de agnitione paruulorum, quae ipsa huc pertinet, aio, nec illam ignorauisse Doctores Talmudicos. Audi exemplum, quod adferunt, & me vera scripsisse putabis. Si fame regionem

diu

diu premente, expositus in publicum fuerit infans, ea vero cessante prolem agnouerit pater aeque ac mater (נאמנים אבי ואמו) fides illis hoc in negotio adhibetur, si iureiurando, quod *Raschius* addit, partum suum esse professi fuerint.

EPIST. AD TITVM I. 12.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Cretenses semper mendaces, malae ferae, ventres otiosi.

Nihil omnino ad hunc locum obseruassem, nisi *Alex. Morus* leporem hic, sed frustra, quaesiuisset. Quia enim *Plutarchus* in libelli *de vtilitate ex hostibus capienda* limine, nullas in Creta dari bestias scribit: ideo hanc Epimenidis mentem fuisse concludit: *Gloriantur* Cretenses *apud se nullas esse feras belluas, cum ipsi pessimae sint belluae.* Enimuero Plutarchus id non adfirmat, sed tanquam ab aliis dictum refert. Verba eius sunt: ἐπεὶ δὲ χώραν μὲν ἄθηρον (ὥσπερ ἱστοροῦσι τὴν Κρήτην) εὑρεῖν ἔστι. *Quoniam vero regionem aliquam feris carentem (quod de Creta narrant) inuenire licet.* Quid? quod contrarium testetur *Heraclides*

des Ponticus libro de politiis. Refert enim de ἀγελάτῃ, hoc est, praefecto turmae puerorum certae apud Cretenses, quod ἀθροίζει αὐτοὺς ὅπου θέλει, καὶ ἐπὶ θήραν ἐξάγει, *illos congreget in vnum, quocunque voluerit & ad venationem educat.* De Cretensibus pariter *Nicolaus Damascenus* scriptum reliquit: οἱ δὲ Κρητῶν παῖδες ἀγελάζονται κοινῇ μετ' ἀλλήλων σκληραγωγούμενοι, καὶ θήρας καὶ δρόμους ἀνάντεις ἀνυπόδοτοι κατανύοντες. *Pueri Cretensium in vnum coguntur, vbi duriter tractantur, & venationibus dediti per accliuia nudis pedibus discurrunt.* Iam vero nulla est sine feris venatio. Mallem existimare, hoc velle Vatem, Cretenses, inde a iuuentute venationibus adsuetos, in bestias propemodum degenerauisse, & tales potius videri quam homines.

EXODI XXII. 27.

אלהים לא תקלל ונשיא בעמך לא תאור:

Magistratibus ne maledicito, principemque in populo tuo ne exsecrator.

GRaecos denuo huc aduocabimus, inter quos eadem viguit lex. Quod ab interpreti-

pretibus ipſoque inſigni *Grotio*, in Iure Belli & Pacis Lib. I. cap. 4. §. 7. locum hunc excutiente, non animaduerſum, ſaepe ſum miratus. Diſerte *Lyſias* orat. VIII. p. 114. iterumque pag. ſeq. recenſet νόμον ἀγορεύοντα τοὺς τὴν ἀρχὴν ἐν τῷ συνεδρίῳ λοιδοροῦντας ζημιοῦν, *ſtatutum, ſanciens, vt qui magiſtratui in ipſo ſenatu conuitium fecerint, puniantur*. Num haec differunt a decreto Moſaico, aut his Pauli verbis Actor. XXIII. 5. Ἄρχοντα τοῦ λαοῦ σου οὐκ ἐρεῖς κακῶς, vel hac adſtantium voce v. 4. Τὸν ἀρχιερέα τοῦ Θεοῦ λοιδορεῖς, quae vocabulum in lege Attica obuium articulate refert? Notabis quoque ſingularem ratione loci concentum, in quo ſcitum illud vel maxime valebat. Apoſtolum coram Synedrio conſtitutum, ſupremo illo Iudaicae nationis Senatu, vno & ſeptuaginta iudicibus, vulgarem ſi ſequamur Magiſtrorum traditionem, conſtante, huius legis bene memorem eſſe iubent, quae in Synedrio etiam Graeco, id eſt, Areopago, cuius adſeſſorum numerus ſat magnus, incertus tamen, potiſſimum inueniebat locum. Quum enim συνέδριον de quouis capiatur Senatu, quem maledictis petere ſeuera ſub poena erat prohibitum; quid non cogitandum de illuſtri Areopagitarum

tarum conſeſſu, quo ſuperiorem Graecia non habuit, & qui per excellentiam audit σενέδριον, quod nunc probatum dabo. Quinam vero magis ad teſtificandum idonei, quam qui in venerabili iſto conſeſſu verba toties fecerunt, diſertiſſimi veteris memoriae Oratores? *Dinarchus* orat. aduerſus Demoſthen. pag. 9. de Areopagitarum concilio loquens, ait: τὸ μὲν γὰρ συνέδριον, τὸ πρότερον δοκεῖν εἶναι πιστὸν, σὺ καταλύεις. *Tu illum ſenatum, cuius fides adhuc fuit exiſtimata integra, diſſoluis.* Et pagina ſeq. δίκαια μὲν ἂν δίκαια τρόπον γέ τινα πάσχει τὸ συνέδριον. *Recte, profecto, recte quodam modo Senatui haec eueniunt.* In eadem oratione p. 38. ampliſſimum hunc Magiſtratum, σεμνότατον συνέδριον, *auguſtiſſimum conſeſſum*, nec non pag. 39. τὸ τὴν Φυλακὴν ἔχον συνέδριον τῆς πόλεος, *ſenatum vrbis cuſtodiam gerentem*, nuncupat. Iterum pag. 48. eodem ſenſu vſurpat. Etiam pag. 49. vbi ita: αὐταὶ αἱ σεμναὶ θεαὶ τῇ πρὸς Ὀρέστην ἐν τούτῳ τῷ συνεδρίῳ κρίσει γενομένῃ, καὶ τῇ τότε ἀληθείᾳ συνοίκους ἑαυτὰς εἰς λοιπὸν χρόνον κατέσησαν· ὑμεῖς δὲ τί ποιήσετε, οἱ πάντων εἶναι φάσκοντες εὐσεβέστεροι; τὴν τοῦ συνεδρίου γνώμην ἄκυρον καταστήσετε; *Ipſae ſeuerae Deae iudicio contra Oreſtem in hoc Senatu interfuerunt, cuius etiam veri-*

veritatis posthac accolae esse voluerunt. Vos igitur qui omnium haberi vultis piissimi, quid agetis? numquid Senatus sententiam efficietis irritam? Adhuc in citata orat. p. 58. πείσειν οἴει τὰς δικαστὰς, ὡς μόνος σε κατέψευσαι τὸ συνέδριον, *persuasurum te iudicibus putas, de solo te mentitum esse senatum.* Denique pag. 62. clare τὸ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ συνέδριον commemorat, quod etiam in orat. contra Philoclem pag. 82. facit. Nec recedit *Lycurgus* orat. aduersus Leocratem p. 135. δικαιότατον συνέδριον nominans. Narrat *Helladius* in Chrestomath. passerem in Areopagitae sinum decidentem, a Senatore interfectum; τὸ δὲ συνέδριον ἀπεκήρυξεν ὡς οὐχ ὅσια δράσαντα τοῦτον, *senatum vero pronuntiasse, non recte ab illo factum.* Quare non passeris, verum crudelitatis caussa, punitus fuit. Haec nos exempla ideo nunc congerere voluimus, quia vocis συνέδριον significatio illa vel pauciſſimis, vel plane nullis, testimoniis in praestantissimis quoque ac locupletissimis Lexicis corroboratur. Nec, spero, ingrata Tibi haec erunt, quisquis eandem nobiscum colis Mineruam.

LV.

LVCAE III. 23.

Ὡς ἐνομίζετο.

Quemadmodum existimabatur.

REstant haec paucula consideranda, posteaquam Libro I. pag. 40. ff. in cetera diligentius inquisiuimus. Neruum dicti praesentis talem puto. Quamuis Redemtor noster in serui forma videndum sese praebuerit, non alio habitus loco, quam aliquis de perditissima atque infima fece vulgi: reuera tamen ἦν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, quod in calce capitis exstat, & veluti ἀπόδοσις concipi debet, respectu commatis nostri. De Theseo *Isocrates* in encom. Helenae p. 211. in hanc sententiam: ὁ λεγόμενος μὲν Αἰγέως, γενόμενος δὲ ἐκ Ποσειδῶνος, *qui dicebatur quidem Aegei filius, reipsa vero Neptuno patre natus erat.* Quod Lucas per νομίζεσθαι, id Isocrates per λέγεσθαι, sensu seruato eodem, effert. Iam & modum genealogias conficiendi Ebraeorum, cum Graecorum compone. Eadem est vtrobique ratio. *Phlegon Trallianus* in fragmento de Olympiis Lycurgi prosapiam hoc ordine pertexit: Λυκοῦργος δὲ ὁ Λακεδαιμόνιος, υἱὸς ὢν τοῦ Πενταλέως, τοῦ Σόου (lubentes enim amplectimur

ctimur emendationem a *Meurſio* ſuppeditatam, & genuinam) τῦ Προκλέως, τῦ Ἀριςοδήμε, τῦ Ἀριςομάχε, τῦ Κλεοδαίε, τῦ Τλλε, τῦ Ἡρακλέες καὶ Δηϊανείρας. Quam eleganter itaque ad Graecam conſuetudinem catalogum perfecerit Lucas, quis non videt? At haec leuia, quibus diu immorari velle, ſaperet omnino aliquid ſupercilii Paedagogici.

IEREM. XLVI. 16.

קומה ונשובה אל עמנו ואל ארץ מולדתנו מפני
חרב היונה׃

Surge vt reuertamur ad populum noſtrum & ad terram natiuitatis noſtrae, metu gladii iſtius Tyranni.

MVltum negotii viris doctis hic textus fecit, quod nodum, vindice dignum, contineat. Alii חרב היונה per *gladium opprimentis*, alii per *enſem columbae* reddunt. Non poſſumus apte de his iudicare ſententiis, ſine ſolida vocis יונה diſcuſſione. *Bochartus*, vir vtique magnus, in Hierozoici Part. II. Lib. I. cap. 1. *columbam* ſic vocari contendit, non ab *opprimendo*, quod eſt יגה ſed a יון ſiue *Graecia*, eo quod & inuectitiae in Aſiam colum-

columbae dicantur *Plinio* X. 29. & ab omni aeuo in Graecia fuisse historia fabularis doceat. Enimuero columbarum originem ex Hellade repetere velle, non permittit Noachi historia, cum antiquitatis nota illustris, tum omnibus praeferenda fabulis. Hoc videns Bochartus, fateri coactus est col. 4. *columbas post diluuium, primo in Graeciam & vicina loca contendisse, atque inde paulatim in reliquum orbem esse dispersas.* Vnde consequitur, minus recte columbarum patriam statui Graeciam, quum diu ante in aliis regionibus fuerint. Sed, vt pressius agamus, ex propriis conuincamus scitis Bochartum. Tuetur eam opinionem in operis illius, densissima eruditione referti, Parte I. Lib. I. cap. 9. quae ab Adamo animalibus imposita nomina propugnat, & quidem talia, quae naturam cuiuscunque exprimant. Si illud admittamus, iam ab initio rerum, & diu ante quam in Graecia conspicerentur, necesse est columbae acceperint nomen; sin hoc, parum ad naturam columbae addiscendam conferet, si Graecanicam adpellauisset primus hominum, cuius tamen regionis nomen tunc in orbe non fuit. Tam ante, quam post diluuium, idem columbae nomen,

nomen. Antiquius quale fuerit, quando & quam ob causſam mutatum, vehementer rogo, aliquis commonſtret. Faciet, credo, quispiam ex eorum numero, qui ſciunt, quo modo Iupiter duxerit Iunonem. Graecia plane huc non pertinet. Numquid enim fatidico praeuidiſſe ſpiritu Adamum, qua in orbis parte poſt diluuium ſedes potiſſimum ſuas habiturae ſint columbae, nugabimur? Adde, non vsque adeo, & apud Ebraeos quidē plane non, in vſu eſſe, vt animantia ex regionum nominibus, nulla diſtinctionis nota addita, ſuas ducant adpellationes. Vti enim in vna regione multa viuunt animalia; ſic vno multa gauderent nomine, nec vnum ab altero genus rite dignoſci poſſet. *Graecam* ſane dum nominas auem, nondum conſtat, vtrum aquilam an gallum, alaudam vel perdicem, pſittacum aut columbam innuas, vti nec eum qui *Turcicas* memorat, columbas illarum regionum in animo habere intelligimus. Neque Graeci, neque Latini, tam vage denominant animalia. Perpende locum ex *Clemente Alex.* Paed. Lib. II. cap. I. p. 140. vbi videas τὰς ἐν τῷ ποροθμῷ τῷ Σικελικῷ σμυρίνας, καὶ τὰς ἐγχέλεις τὰς Μαιανδρείκς, καὶ τὰς ἐν Μήλῳ ἐρίφους, καὶ τὰς ἐν Σκιάθῳ κεφρεῖς, καὶ τὰς Πελωρίδας κόγχας, καὶ τὰ ὄρφεια τὰ Ἀβυδηνα, καὶ

σὰς ἐν Λιπάρᾳ μαινίδας, καὶ τὰς κτένας τὰς Μηθυμναίας, καὶ τὰς ψήττας Ἀττικὰς, καὶ τὰς Δαφνίδας κίχλας, καὶ τὰς ὄρνεις ἀπὸ Φάσιδος, καὶ τὰς ἀττάγας Αἰγυπτίας, καὶ τὸν Μῆδον ταῶνα; *freti Siculi muraenas, anguillas Maeandrias, Melos insulae haedos, mugiles ex Sciatho, Pelorides conchas, Abydenas ostreas, maenas Liparenses, Methymnaeos pectunculos, Pfittas* (vide *Plinium* IX. 16.) *Atticas, Daphnios turdos, aues ex Phaside, Aegyptiacas Attagenas, Medumque pauonem.* Comicorũ princeps in Acharnens. Act. IV. Sc. 1. inter compluria bellaria memorat ἐγχέλεις Κωπαΐδας, *anguillas Copaicas.* At geminus Clementino loco exstat in Satyra Varronis περὶ ἐδεσμάτων apud *A. Gellium* VII. 16. vbi *paũus e Samo, Phrygia attagena, grues Melicae, haedus ex Ambracia, pelamys Chalcedonia, muraena Tarteſſia, aſelli Peſſimuntii, oſtrea Tarentina, pectunculus Chius, elops Rhodius, ſcari Cilices,* cum aliis ciborum exquiſitis delitiis recenſentur. Euertit inſuper Bocharti coniecturam, quod homini & Vati nomen fuerit יגה Num ideo, quia ex Graecia ortus? Silices neceſſe eſt concoquat, qui haec ferre poſſit. Ab *opprimendo* potius ita vocatus fuit. Eſt enim יְגֹה *oppreſſio*, prout גּוֹלָה deportatio, הוֹן aerumna, שֹׁאָה vaſtatio;

tio; vt adeo vel ipso nomine gesserit Prophetа passionis symbolum, quemadmodum Petrus actionis, quod de hoc adfirmant Patrum nonnulli. Sic *Noach* quietis symbolum. Nam qui *Ionae* nomen columbam significare volunt, errare videntur; quum mulieribus in Iudaica gente ab animalibus mitissimis nomina fuerint imposita, viris a ferocissimis. Quare in Cantico canticorum Ecclesia, veluti illibata virgo, columba nominatur, atque cum ea confertur Capp. I. 15. II. 14. IV. 1. V. 2. 12. VI. 9. Longe tutius est, communem sequi deriuandi rationem, & יונה *columbam* ab יונה *opprimere*, vt dixi, accersere, qua profecto originatione nulla prostat alia melior. Adposite *Gussetius* rad. יונה. *Columba sic dicta apparet, quasi oppressioni exposita, vtpote imbellis. Sed nonne & indidem* ὄνος, *oneribus & fustibus maxime obnoxius?* Ipse columbarum pullus גוזל audit, quia *rapinae* subiacet. Nec hic audiendus Bochartus, ad Arabismum excurrens. Verum nunc ad Ieremiam. Qui per *gladium columbae* Babylonios intelligunt, prae aliis admittendi sunt. Nituntur autoritate ipsius Vatis, non heic tantum, sed & Cap. L. 16. dictam phrasin de Babyloniis vsurpantis. Iam

vero Babylonis insigne columba erat, in laboris vexillisque conspicuum. Quod vti ex profanis adnotarunt non pauci; sic nos ex Ebraeis. Vnicum iam nomino *Dauidem Ganzium*, in Chronologia ad millenar. secundi an. 1958. interprete *Vorstio* scribentem: *Signum vexilli Semiramis fuit figura columbae; quod signum vexilli imitati sunt omnes reges Assyriae. Et de hoc inquit Ieremias Cap.* XXV. 38. Propter excandescentiam columbae. *Et cap.* XLVI. 16. coram gladio columbae; *prout exposuit auctor Meor enaim cap.* 21. Haec in Zemach Dauid. Atque in his quidem locis *columbae* notio, quodam veritatis titulo, retineri potest. At quid fiet Zephaniae, ita loquenti Cap. III. 1. *Vae inquinatae* (alii, *ingluuiei*) *& contaminatae, vrbi huic* היונה Num & heic *columbam* intelligemus? Repugnat Hemphaticum; siquidem rectius tunc dictum fuisset עיר יונה Nisi forte exposueris, *vrbi illi, columbae illi.* Amplectamur tantisper mentem illorum, quamuis non ex mente, ac quo pacto *vrbs columbae* Hierosolyma nuncupari queat, inuestigare studeamus. Aio similem columbae esse, vel quoad fatuitatem, vt de Ephraimo Hoseas ait Cap. VII.

11. vel salacitatem. Est enim columba valde libidinosum animal. *Epiphanius* haeresi Ophitarum XXXVII. §. 8. pag. 275. ἀκόλαστον γὰρ γένος περιστερᾶς, ἡ πολυμιξίας μὴ ἀνακοπτόμενον, λαγνόν τε καὶ καθ' ὥραν ἡδονῇ προσανακείμενον. Πρὸς δὲ τούτοις ἄτονον καὶ βλητικόν. *Est columbinum genus in libidinem maxime propendens, quod vix a crebriore coitu cessat, lasciuum quoque & ad momenta fere singula in Venerem ruens; imbecillum insuper atque ignauum.* Ita eleganter congrueret, *inquinatae & contaminatae ciuitatis* titulus. Porro, Veneri fuit sacra columba, testibus *Etymologo* v. περιστερά, *Aeliano* Var. Hist. Lib. I. 15. & *Apuleio.* Verba ex eius Metamorph. Lib. VI. p. 81. haec sunt: *Venus terrenis remediis inquisitionis abnuens coelum petit. Iubet construi currum, quem ei Vulcanus subtili fabrica studiose poliuerat, & ante thalami rudimentum nuptiale munus obtulerat, limae tenuantis detrimento conspicuum, & ipsius auri damno pretiosum. De multis quae circa cubiculum Dominae stabulant, procedunt quatuor candidae columbae, & hilaris incessibus picta colla torquentes, iugum gemmeum subeunt, susceptaque Domina laetae subuolant.* Succinit *Prudentius* in Symmachum Lib. II. v. 576.

— — *aut Paphiam niueae vexere columbae.* Vel cum hac aue committitur ob columbarum Hierosolymis multitudinem, cuius rei vestigia passim in Talmude inuenias. Si *Adrichomio* num. 196. habenda fides, fuit Hierosolymis ad meridiem montis oliueti petra siue turris columbarum, saxea, sublimis, rotunda, vel quinque mille domesticarum columbarum continens. Vel ob aliam quamcunque causam, nobis ex fugitiua antiquitate non amplius cognitam. Ita Samariam *columbae ciuitatem* vocare possimus ex mente Iudaeorum, in cacumine montis Gerizim columbam repertam narrantium, quam adorauerint Samaritani. Vide *Raschium* ad Abhoda Sara fol. 26. b. *Obadiam de Bartenora* ad Berachot VII. 1. Hactenus in gratiam aliorum illustrare conati sumus Prophetam; nunc pauciſſimis, quia limites iam egressi sumus, animum explicabimus nostrum. Existimem יונה non tam *columbam* heic designare, quam *oppressorem*, vel, vt aptius vim vocis exprimamus, *Tyrannum.* Metuendus est *gladius illius Tyranni*, quomodo per eminentiam vocatur Nebucadnezar & heic & Cap. L. 16. Atque hac procul dubio adpellatione notissimus

mus

mus erat tum temporis. Transfertur & ad Deum Cap. XXV. 38. vbi *ira Tyranni* memoratur, qualem se Deus gerit erga impios, prout ipse declarat Iesa. LXIII. 10. Et Hierosolyma *vrbs* est יונה *tyrannica* vel *tyrannus*; nam de feminis quoque *Tyrannus* dici, notat *Seruius* ad Aeneid. VII. In quonam tyrannis illa consistit? Audi Zephaniam III. 2. seq. *Non auscultat voci, disciplinam non admittit; Iehouae non confidit, ad Deum suum non accedit propius. Principes eius in medio ipsius leones* sunt *rugientes*, &c. Non multum differt descriptio a *Cicerone* de amicit. suppeditata. *Hæc est*, inquit, *tyrannorum vita, nimirum in qua nulla est fides, nulla caritas, nulla stabilis beneuolentiae potest esse fiducia; omnia semper suspecta atque solicita sunt* &c. *Ionas* etiam Tyrannus audiet, verum sensu antiquo, hoc est, Rex atque Dominus; vel, si recentiore mauis, erit is qui vim facit aliis, prout *Nimrod* idem ac rebellis. Etenim, quod obiter addo, nomina veteres fortuito plerumque imponebant, in quibus proinde miracula vbiuis quaerere, prorsus ineptum. Iam non obscure intelliges, יונה designare tyrannorum more vexare, tum & fraude aliquem opprimere. Ille

significatus primarius, hic secundarius est. Tandem colophon huic obseruationi addendus, ne quis me Athenis loquaciorem pronunciet.

IOANN. III. 22.

Ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν Ἰουδαίαν γῆν.

Venit Iesus in terram Iudaeam.

FAtentur cum *Beza* interpretes plerique omnes, *terram Iudaeam*, pro simplici *Iudaea*, nouo dicendi genere adhiberi, adeo vt sit ἅπαξ λεγόμενον, nec caussa facile dari possit, quamobrem sic fuerit Euangelista locutus. Mirum vero, Romanos non veniſſe in mentem, quibus eodem modo verba fluunt. Sic *Varro* de re rust. Lib. I. cap. 9. *Terra*, inquit, *tribus modis dicitur, communi, proprio & mixto. Communi, vt cum dicimus orbem terrae &* TERRAM ITALIAM, *aut quam aliam.* Sic *Gellius* III. 8. *Quum Pyrrhus rex in* TERRA ITALIA *esset.* Et capite seq. *Habuisse equum natum Argis in* TERRA GRAECIA. Et Lib. VII. 5. *Histrio in* TERRA GRAECIA *fuit fama*

ma celebri. At cur Hierosolymis in terram Iudaeam abiisse Dominum narrat Ioannes? Num Hierosolyma alibi quam in Iudaea? Ergo vel territorium Iudaeae cum non paucis commentatorum intelligamus, vel, quae nostra est coniectura, ex Iudaeorum loquendi forma, exponamus. Hierosolyma cum templo מקדש *sanctuarium*, sed reliqua Israelitarum vniuersa terra מדינה γῆ, χώρα, dicitur. Notum est hoc discrimen, toties a *Maimonide* inculcatum, leuiter renitente *Bartenora*, sanctissimam ciuitatem ad מדינה reiiciente. Atque hanc diuisionem obseruasse puto sacrum scriptorem, quam non obscure innuit Cap. XI. 55. Ἱεροσόλυμα & χώραν inuicem opponendo. Siue autem Latinos siue Ebraeos imitatum dicas Ioannem, parum refert, quum ab vtrisque locutiones quasdam desumsisse illum dubitare amplius non liceat. Rerum intelligentes, & quibus mens ad clauum sedet, eligant, quod praestabilius esse animaduerterint.

PSAL. LXVIII. 14.

אם תשכבון בין שפתים כנפי יונה נחפה בכסף
ואברותיה בירקרק חרוץ׃

Tametsi iacueritis inter duas ſtrues lapideas, lucebitis tamen ſicut *ala columbae, obducta argento, cuius pennae* ſunt *ex viridi auro effoſſo.*

DE ſenſu primum, dein de vocibus agam. Rex ait: etiamſi obſcuram quis reddere nitidiſſimam Eccleſiae faciem, ac propterea vel tumulo obruere, vel ad horrorem vsque denigrare velit (שפתים enim focarios lapides notat) tamen in ſolis conſpectum eam producendam, atque tunc ſimilem fore columbae, ad ſolem ſeſe conuertenti, multumque ex pennis ſuis fulgorem emittenti. Illuſtrationis loco adponam *Philonem Iudaeum*, περὶ μέθης p. m. 265. ita ſcribentem: Τὸν αὐχένα τῆς περιστερᾶς ἐν ἡλιακαῖς αὐγαῖς ἐ κατενόησας, μυρίας χρωμάτων ἀλλαττόντα ἰδέας; ἢ ἀχὶ φοινικῆν καὶ κυανῆν, πυρωπόν τε ἅυ καὶ ἀνθρακωειδὲς, ἔτι δὲ ὠχρὸν καὶ ἐρυθρὸν καὶ ἄλλα παντοδαπὰ ἴσχει χρώματα, ὧν ἐδὲ τὰς κλήσεις ῥᾴδιον ἀπομνημονεῦσαι; *Vidiſtine vnquam columbae ad ſolares radios conuerſam ſexcentisque colorum mo-*

dis

dis variegatam ceruicem? nonne puniceum & coeruleum & pyropi & carbunculi speciem referentem, pallentem insuper ac rubram; quin & alios complectentem colores, quorum ne nomina quidem percensere in promtu est? itemque *Lucretium*, non minus eleganter Lib. II. v. 800 canentem:

Pluma columbarum quo pacto in sole videtur,
Quae sita ceruices circum collumque coronat.
Namque alias sit vti claro sit rubra pyropo,
Interdum quodam sensu sit vti videatur
Inter caeruleum virides miscere smaragdos.

Adeo de columba dici potest, quod de iride *Virgilius* Aen. IV.

Mille trahens varios aduerso sole colores.

Describitur columba splendidissime ab argentea ala pennisque aureis. Argenteus color est admodū albus. *Ouidius* Metamorph. Lib. II. de coruo:

Nam fuit haec quondam niueis argentea pennis
Ales, vt aequaret totas sine labe columbas.

Color

Color auri ירקרק est ille, quem ignis refert, vt *Bechai* vult comment. in Leg. fol. 132. col. 2. vel, iuxta *Raschium* ad Hymnum nostrum, is qui nec viridis nec ruber est, sed tamen ad viridem nonnihil inclinat, consentiente *Kimchio* in Lex. fol. 55. col. 3. & *ben Melech* ad locum. Qualis vtique auri color in examine comparet. Aureus color dum heic adscribitur columbis, occasionem sine dubio dedit Rabbinis fingendi, esse inter columbarum alas plumam quandam auri instar flauam; quod videbis in *Kimchio* ad textum, & quod de iuniorum alis, e nido vix repentium, intelligere iubet Codex *Cholin* fol. 22. b. Ego vero, quamuis argenteum aeque ac aureum colorem aliquo columbis modo tribui posse haud diffitear: tamen non vere columbam eiusmodi, sed pulcerrimam quamcunque, intelligendam puto. Id non viderunt interpretes, qui dum arcte nimium inhaeserunt vocibus, nucleum neglexerunt. Scias velim, omne quod maxime pulcrum, non cum auro tantum, sed & argento simul Ebraeos comparare. Vnicus, at illustris, locus, rem conficiet totam. Dauidis nostri filius ait in Prouerbiis XXV. 11. Sicuti תפוחי זהב במשכיות כסף דבר דבר על אפניו

mala

mala aurea cum figuris argenteis, ita *verbū dictum iuxta modos suos*. Adde, aureum Latinis aeque ac Graecis dici, quicquid excellentissimum praestantissimum atque elegantissimum. Inscriptio in *Musis Lapidariis*:

ILLA MEIS OCVLIS AVREA SEMPER ERIT.

Ennius apud *Ciceronem* de Diuinat. Lib. I. pag. 200.

Et simul ex alto longe pulcerrima praepes
Laeua volauit auis: simul aureus exoritur sol.

Theocritus idyll. XVIII.

Ὣδε χ' ἁ χρυσέα Ἑλένα διεφαίνετ' ἐν ἡμῖν,
Πλείρα, μεγάλα· ἅτ' ἐνέδραμεν ὄγμος ἀρούρᾳ,
Ἢ κἀπῳ κυπαρισσος, ἢ ἅρμασι Θεσσαλὸς ἵππος.

Sic & aurea Helena elucebat inter nos, ampla, procera; qualis exsurgit sulcus in aruis, aut in horto cupressus, aut in cursu Thessalus equus. Et Venus aurea dicitur a *Sophocle* Oedip. Colon. v. 725. ff. & χρυσῆς ἄξιος τιμῆς, cui amplissimus debetur honor, ab eodem in Antig. v. 714. Vrbi Athenienſium quasi peculiaris hic erat titulus. *Theodosius Zygomala* in epistola de periculis

lis Constantinopoleos, profert inscriptionem Athenarum portae, ποικίλη dictae, vbi inter alia haec:

Ἐκ τῶν πρὸ πολλῶν τῶν λόγων τὴν μητέρα
Χρυσᾶς Ἀθήνας, τὴν περίβλεπτον πόλιν, κ. τ. λ.

Antiquitus sapientiae matrem, aureas Athenas, splendidam vrbem, &c. Quare *Gregorius Nazianzenus* orat. in laudem Basilii M. p. m. 79 edit. Heruag. Ἀθήνας τὰς χρυσᾶς ὄντως ἐμοὶ, *Athenas mihi vere aureas*, nuncupat. Finem faciet *Palaephatus*, cuius adeo manifestum est testimonium, vt nihil supra. Scribit ille incredibilium cap. XIX. Hesperidas fuisse formosissimas, eoque aureas dictas: κάλλιστον γὰρ ὁ χρυσός· ἦσαν δὲ κἀκεῖναι κάλλισται. Huc faciunt Hymni, qui pro titulo gerunt מכתם Hi sunt praestantissimi & vere aurei. Atque sic praeclaram & eximiam Ecclesiae pulcritudinem delineare voluit Rex ac Propheta, tantam vtique vt nulla species ne excogitari quidem possit ornatior. Quare & in Psalmo potissimum XLV. & Cantico magno praedicatur opere, oculis suspiriisque sponsi formosissimam sponsam perpetuo sequentibus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046377140/phys_0122
DFG

I. EPIST. AD CORINTH. XV. 29.

Οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν.

Qui baptizantur pro mortuis.

DIfficillimus absque controuersia locus est praesens, si non in omnibus Paulinis epistolis, in hac tamen nostra. Quem, cum tam multi tractarint, vitio nobis verti possit, si nodos intactos relinquere voluerimus. Primum nota, βαπτίζεσθαι de ingenti periculo, quo aut submergitur omnino aliquis, aut ita adfligitur, vt vix inde emergere queat, prouerbiali quadam locutione, perquam commode adhiberi, quod ex Nouo Foedere comprobant omnes, ex aliis auctoribus nemo. Inueni tamen in *Libanii* epistola ad Acacium, eundem plane verbi vsum. Καὶ αὐτὸς εἰμὶ τῶν βεβαπτισμένων (vt est in codice Caesar.) ὑπὸ τῦ μεγάλε κύματος ἐκείνε. *Et ego vnus ex illis sum, qui maximis fluctibus iactabantur.* Atqui non diluuium sed terrae motum baptismus ille infert, quo Nicomedia fuit subuersa, prout optime adnotauit ex *Ammiano Marcellino* magnus *Lambecius*. Dein obserua, ὑπὲρ idem heic esse ac *plus quam, vltra,*

vltra, supra, quem praepositionis significatum discas vel ex *Erasmo Schmidio* ad locum. Denique νεκροὶ pii sunt, qui diem in Christo clauserunt, plenius alibi νεκροὶ ἐν Χριστῷ dicti, 1. Thessal. IV. 16. & ex his sanctis martyres cumprimis. Nunc sensum accipe. Quae causa est, cur nonnulli plura, quam ipsi martyres, adeant discrimina, si tamen nulla exspectanda mortuorum resurrectio, nulla bene factorum praemia, gaudia nulla? Cui purgatum cerebrum, Diui Apostoli mentem facile adsequetur.

GENES. XXII. 13.

וישא אברהם את עיניו וירא והנה איל אחר נאחז
בסבך בקרניו וילך אברהם ויקח את
האיל ויעלהו לעולה תחת בנו׃

Tum circumferens Abraham oculos suos, ecce arietem a tergo vidit, cornibus vepreto implexum; abiit itaque Abrahamus, accepit arietem illum, eundemque mactauit in holocaustum filii loco.

A Deo notabilis est mactandi historia Isaaci, vt gentilium quoque scriptis, quanquam alio sub inuolucro diuersissimisque

que nominibus, celebretur. Neque enim quae de Iphigenia vel narrantur vel finguntur ab *Euripide* peculiari tragoedia, Iphigeniae in Aulide titulo nota omnibus, *Antonino Liberali* fab. XXVII. *Ouidio* Metamorph. Lib. XII. ineunte, *Hygino* fab. CCLXI. ceterisque, qui hos secuti sunt, aliud quid innuere arbitror, quam quod Moses praesenti capite refert. Iam vt certis indiciis (quantum fabulae densa caligine obuolutae permittent) constet, vtrobique exhiberi factum plane idem, vtriusque conuenientiam breuiter adumbrabimus. Ex iuuene Isaaco virginem fecerunt Iphigeniam fabulatores; quod non rarum in fabellis esse, fatebuntur, qui tempus aliquod hisce nugis impenderunt. Iphigenia dicitur quasi potenter nata; ἴφι, enim idem cum ἰσχυρῶς. Vide *Hesychium*, *Suidam* atque *Etymologum* v. ἴφι. Optime hoc ad Isaacum quadrat, potenti miraculo in lucem editum, patre centesimum, matre nonagesimum aetatis annum agente, Genes. XVII. 17. Parens Iphigeniae Agamemnon fuit; Isaaci Abrahamus. Atqui Agamemnon nomine etiam cum Abrahamo conuenit. Prout enim Agamemnon dicitur ἀπὸ τῆς ἄγαν, quod est

μακρὸν, & μένειν, iuxta *Etymologici auctorem*, v. Ἀγαμέμνων: ita nullius posteritas tam diu durauit quam Abrahami, per vnicum Isaacum longissime propagata, quod hoc ipso capite v. 17. & alibi promissum. Si *Platonem* in Cratylo p. m. 51. audimus, Agamemnon dictus quasi ἀγασὸς κατὰ τὴν ἐπιμονὴν, quia mirabilis fuerit eius in omni fortuna perseuerantia. At quis vnquam maioris tolerantiae, sed & illustrioris fidei, exemplum Abrahamo vel vidit vel legit? qui tranquilliore omnino animo praesentem filii mortem conspexit, quam filiae Agamemnon. Et Isaacus & Iphigenia victimas se fieri non repugnant. De illo sacra historia: haec apud Tragicum p.m. 341. ait: θανεῖσα δ' οὐκ ἀναίνομαι, *mori non detrecto*. Tam ille quam illa florenti in aetate, matrimonii expertes, a magnis parentibus, adhuc viuentibus, originem ducentes, vitae dulcedinem, prae Dei parentumque voluntate contemnunt. Ducuntur ad aram. Sed loco Isaaci immolatur aries, loco Iphigeniae vel iuuenca, vel anus, vel taurus aut vrsus, vt diuersi volunt, quos vide apud *Etymologum* v. Ταυροπόλον, vel, vt plures, cerua,

ἧς αἵματι βωμὸς ἐφαίνετ' ἄρδην τῆς Θεᾶς,

cuius

cuius sanguine affatim conspergebatur Deae ara, canente *Euripide* non longe a fine tragoediae. Immo, nec caesa Iphigenia, nec bellua eius loco substituta, sed Dianae iussu facta est Hecate, secundum nonnullorum opinionem. Et hoc verum, modo rite intelligas. Hecate dicitur ab ἑκατὸν id est centum annis (nam totidem victimae & potestates, a quibus nomen pariter accepisse fertur, nihil ad rem nostram) quibus insepulti circa inferos oberrent eius ex mandato. Abrahamus nonne ἑκατονταέτης audit Galat. IV. 19. cui centesimo aetatis anno promissio de filio nascendo obtigit. Nuncupatur porro Hecate ab *Hesiodo* Theogon. v. 426. μονογενὴς, quomodo Isaacus vocari possit, vnice legitimus patris heres. Vah! quam misere miscent omnia, verae antiquitatis imperiti. Facile esset, plura congerere, & vel congruentem in vtraque parte mactationis adparatum, vel subductionem Iphigeniae in regionem Tauricam, hoc est, Isaaci in מור montem Moriia, & studio occultatum factum adhuc peragendum, dum neque Clytaemnestra neque Sara, (vtpote cuius nulla apud Mosen in praesenti negotio mentio, & quae omnibus procul dubio modis necem filii

impediuiſſet) aliquid inaudiuerunt prius, quam res ſuadere videretur, & ſexcenta inſuper alia nunc commemorare, niſi legentium deſiderio ſatis me feciſſe crederem, pleniorem pertractationem illis relicturus libens, qui maiori cum iucunditate atque ſucceſſu veterum vmbras perreptant.

EPIST. AD PHILIPPENS. III. 5.

Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων.

Ebraeus ex Ebraeis.

QVi antiquitates concinnarunt Ebraicas, & ex Iudaeorum ſcriniis illuſtramenta nouo Teſtamento adferre ſtuduerunt, dudum obſeruarunt, vtroque parente Ebraeo prognatum, dici Ebraeum ex Ebraeis. Ne quis vero opinetur, loquendi genus id eſſe mere Iudaicum, qua ſuperſtitione video quosdam imbutos, iuuabit Graecos audire, conſimili more loquentes. *Lyſias* orat. XII. pag. 215. de Agorato: Δεῖ γὰρ ὑμᾶς εἰδέναι, ὅτε δῆλος καὶ ἐκ δήλων ἐστίν. Laudantur ab *Andocide* orat. I. p. 228. ἀγαθοὶ ἐξ ἀγαθῶν ὄντες. Fere ad eandem formam *Demoſthenes* pro corona pag. 314. A. εἰ δὲ πολλῷ βελτίῳ τοῦτο, καὶ ἐκ βελ-

βελτιόνων, καὶ μηδενὸς τῶν μετρίων χείρονα καὶ ἐμὲ καὶ τοὺς ἐμοὺς ὑπειλήφατε. *Quod si multo meliorem illo, & ex melioribus prognatum, neminemque mediocrium inferiorem tam me quam meos existimatis.* Menander Vliadis F. εὐεργέτης τῆς πατρίδος καὶ ἐξ εὐεργετῶν nominatur in veteri lapide apud *Sponium* itiner. Tom. I. pag. 113. versionis Germ. Vale nunc Ebraisme, tam anxie a multis quaesite, tam sancte a non paucioribus adseruate, ac res tuas tibi habe, locumque concede Helleniſmo eleganti, puro, concinno.

NEHEM. IX. 2.

ויעמדו ויתודו אל חטאתיהם׃

Stantes confessi sunt peccata sua.

EX more Israelitarum, inciuile reputantium, aliter cum Deo, quam stando, colloqui. Quare & preces & peccatorum confessiones, maxime quae super victimis fiebant, stationem requirebant. Atque hoc adeo necessarium, vt עמידה statio nonnunquam ponatur pro oratione. Nota est ex Cod. *Berachoth* fol. 6. b. regula repetita ibidem fol. 26. b. אין עמידה אלא תפילה *stare nihil*

nihil aliud est, quam orare. Quo referunt Magistri Genes. XIX. 27. *Mane surgens Abraham abiit ad locum illum vbi steterat coram Iehoua*, id est, orauerat. Digitum quippe intendunt ad haec ex Capite XVIII. 22. *Abraham stetit adhuc coram Iehoua*, siue, preces ante illum effundebat, illic legendas. Eo itidem trahunt Psal. CVI. 30. *Maimonides* Hilch. Thephillah cap. V. init. diserte inter orationis requisita collocat stationem, dum ita sancit: אין מתפלל אלא מעומד Vnde si quis aut naui aut curru vehatur, si quidem stans orare possit, stet. Haec non veluti incognita vel noua produxi; Philologiae studiis exculti atque expoliti viri dudum monuerunt. Sed id, quod nunc monebimus, & cuius gratia isthaec praemisimus, nescio an alicui notatum. Patientiam veteres quosdam Philosophos statione exercuisse, haud pauci tradiderunt. Duos tantum sapientiae fama prae ceteris inclitos in scenam ire iubemus, Socratem atque Pythagoram. De illo *Gellius* II. 1. *Stare*, inquit, *solitus Socrates dicitur, pertinaci statu perdius atque pernox a summo lucis ortu ad solem alterum orientem, inconniuens, immobilis, iisdem in vestigiis, & ore atque oculis*

his eundem in locum directis cogitabundus, tanquam quodam fecessu mentis atque animi facto a corpore. De hoc, priorem superante etiam, testatur *Iamblichus* cap. 3. p. m. 34. ἐφ' ἑνός τε καὶ τοῦ αὐτοῦ σχήματος διέμεινε δύο νύκτας καὶ τρεῖς ἡμέρας, μήτε τροφῆς μήτε ποτοῦ μεταλαχών μήτε ὕπνου. Vides, diuinum Philosophum eadem corporis figura, siue stando siue sedendo duas noctes ac tres dies permansisse, sine cibo, sine potu, sine somno. Atque hoc, opinor fecerunt, vt non modo vulgare quid prae abiecta plebe, sed & plane diuinum aliquid sibi inesse, facilius persuadere possint credulis. Discas hoc vel ex iis quae subiicit Iamblichus; etenim nautas, id videntes, adparauisse omnia veluti ad cuiusdam Dei praesentiam commemorat. Quum enim non omnibus data sit illa standi pertinacia, sua sponte admirationem peperit factum diuinitatisque existimationem. Et simulacra Deorum erectam stantiū formam repraesentabant. Igitur Deos imitati Philosophi. Vel ex orientalium schola hanc petierunt corporis conformationem, qui stantes plerumque adorabant diuinam naturam, qui mos ad gentiles postmodum transiit. Pythagorae vero praeceptum: *adoraturus*

rus sede, alium habet sensum, quam verba prae se ferunt. Sed vt finem dicendi faciam, aio: per longum tempus steterunt Philosophi vel tanquam adoraturi supremum Numen, vel tanquam adorandi ipsi. Tu qui naturae munera amplexaris, & te ne alumnum quidem eius existimas, sed partum, tu qui te Deum credis, sapientia tumens, tu qui inaniter tecum alios decipis, disce his exemplis rectius sapere, & in iis vnice imitare Deum, quae tibi imitatione exprimenda proponit.

I. EPIST. PETRI III. 7.

Οἱ ἄνδρες ὁμοίως συνοικοῦντες κατὰ γνῶσιν.

Viri pariter connubio iuncti sint vel viuant *prudenter.*

Sic omnino conuertere hunc locum debent, quotquot verbi συνοικεῖν emphasin attendunt. Adhibetur illud de matrimonii vinculo copulatis, vt ex solo nunc *Isaeo* monstrabimus. Et quidem de vxoribus vsurpat oratione V. pag. 454. ὥσε ἔτ' ἐπιτροπεύειν προσήκει τὴν Καλλίπαην - - - ἀλλὰ πάνυ πάλαι συνοικεῖν. *Quamobrem verisimile haud est,*

est, Callippen sub tutela fuisse, sed multo ante nuptam. Mox: ἔτι δὲ καὶ γινώσκεσθαι αὐτὴν ὑπὸ τῶν Εὐκτήμονος οἰκείων ἀναγκαῖον ἦν, καὶ ὑπὸ τῶν οἰκετῶν, εἴπερ γε συνῴκησεν ἐκείνῳ. *Tum & necesse erat, ab Euctemonis vel domesticis vel seruis eam cognosci, siquidem vna cum eo habitauit,* instar vxoris puta; hanc quippe caussam tractat orator. Et pag. 455. ἀποδεῖξαι τοίνυν ἡμῶν κελευόντων ὅστις ὅδε τῶν Εὐκτήμονος οἰκείων ἢ συνοικήσασαν. *Ostendat igitur, nobis iubentibus, aliquis Euctemonis domesticorum, vel cohabitasse illam cum illo* &c. De sequiore etiam sexu ea vsurpatione offendimus hoc verbum orat. II. pag. 398. orat. V. pag. 470. bis. orat. VI. p. 487. orat. VII. p. 505. bis. orat. IX. pag. 550. De viris vsurpat orat. II. pag. 384. Θαυμάζω ἔν εἰ ὁ ἀνὴρ ὁ συνοικῶν πλείω ἢ ὀκτὼ ἔτη ἤδη, μὴ ἤδη τὔνομα τῆς ἑαυτῦ γυναικός. *Miror proinde, plusquam octo annorum maritum, ignorauisse coniugis nomen.* Iterum orat. cit. pag. 398. Καὶ πολλοὶ συνοικοῦντες ἤδη ἀφῄρηνται τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας. *Multi maritorum propriis priuantur vxoribus.* Oratione quinta pag. 450. Ἐπειδὴ γὰρ τῷ Φιλοκτήμονι ἐκ μὲν τῆς γυναικὸς ἢ συνῴκει οὐκ ἦν παιδίον οὐδέν. *Postquam Philoctemoni ex muliere, quam habuit sociam thori, nullus erat filius.* Paucis interpositis pergit: Ταῖν δὲ ἀδελφαῖν τῇ μὲν

ἑτέρας, ᾗ ὁ Χαιρέας συνῴκει, οὐκ ἦν ἄῤῥεν παιδίον, -- ἐκ δὲ τῆς ἑτέρας, ᾗ συνῴκει Φανόστρατος οὗτοσί, ἦσαν υἱὼ δύο, κ. τ. λ. *Duabus ſororibus, quarum alteri, quam Chaereas uxorem habuit, filius maſculus non erat; ex altera autem, quam duxerat Phanoſtratus, duo aderant filii*, &c. Oratione VII. pag. 517. Συνοικῆσαι μὲν ἂν τῇ γυναικὶ κύριος ἦν, *potuiſſet illam feminam matrimonio ſibi iungere.* In eadem oratione pag. 523. Ταῖν δ' ἀδελφαῖν ταῖν δυοῖν ἐπειδὴ χρήματα εἰσεπράττετο ὑπὸ τῶν ἐκείναις συνοικούντων, κ. τ. λ. *Duarum vero ſororum, poſtquam ab earum maritis exacta eſſent bona*, &c. Denique orat. IX. pag. 557. ὁ γὰρ πατὴρ ὁ ἐμὸς, ἐπεὶ πρῶτον ἐγγυησάμενος τὴν ἐμὴν μητέρα συνῴκει. *Pater meus certa dote matrem meam ſibi deſpondens duxit.* Vidiſti, legitimo coniugii foedere feminis addictos viros eſſe intelligendos. Nota & hoc: maritos vocari haud raro συνοικοῦντες ſimpliciter; ſed adiecto ἀνήρ, addendus eſt articulus, dicendumque οἱ ἄνδρες ὁμοίως οἱ συνοικοῦντες, quod perquam diligenter obſeruaſſe Iſaeum ex adductis intelliges. Atque haec cauſſa eſt, quare participium, ſubaudiendo duntaxat verbum ſubſtantiuum, vel ſimile, heic retinere voluerimus, nec eius loco in verſione *maritorum* nomen exprimere,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046377140/phys_0134
DFG

mere, pro quo Iuris consultissimum & Graece doctissimum Virum pugnauisse non ita pridem recordamur. Iam illa: κατὰ γνῶσιν tuto Latine per aduerbium reddas, *prudenter*, quemadmodum Marci I. 27. legitur: κατ' ἐξουσίαν καὶ τοῖς πνεύμασι τοῖς ἀκαθάρτοις ἐπιτάσσει, id est, potenter; & Rom. II. 2. Οἴδαμεν δὲ ὅτι τὸ κρῖμα τοῦ Θεοῦ ἐστι κατὰ ἀλήθειαν ἐπὶ τοὺς τὰ τοιαῦτα πράσσοντας, hoc est, vere; & I. Corinth. XIV. 40. Πάντα εὐχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γενέσθω, i.e. ordinate; & sic in infinitis adhuc locis aliis. Si cui haec non sufficiunt, plura petat ab iis, quibus abunde & ingenii, & otii & verborum est.

CANTIC. I. 2.

ישקני מנשיקות פיהו׃

Osculetur me osculis oris sui.

LOcum hic habet *Aben Esrae* regula ad Genes. XXVII. 27. Verbum נשק absolute sine ל positum osculum denotare oris, at cum ל basium vel collo vel humeris vel aliis humani corporis membris impactum. Vnde *Raschi* eiusmodi osculum recte heic indicari putat, quod fit פה על פה Quum enim

enim diuersa, etiam inter Ebraeos, fuerint osculorum genera, de quibus alibi forsan plenius; solum ore exceptum suauium fuit desponsatorum. Nec possum, quin Isacidis verba proferam ipsa:

אני מתאוה ושוקקת להיותו נוהג עמי כמנהג הראשון כחתן אל כלה פה יעל פה *Meum est desiderium, vt pristino mecum agat more, atque os deosculetur vnice, cuiusmodi osculis sponsus beare solet sponsam.* Castioribus vtique, quam *Catullus* a Lesbia petit:

Da mihi basia mille, deinde centum,
Dein mille altera, da secunda centum,
Dein vsque altera mille, deinde centum.

Delphis quidam Myndius ad Simaetham:

Εὖδόν τ' ἔικε μόνον τὸ καλὸν σόμα τεῦ ἐφίλασα

Quieuissem, si pulcrum os tuum deosculatus fuissem; Legitur in *Theocriti* idyll. II. 124. Est & amantium τᾶ χείλε καταφιλεῖν καὶ τὴν σκιὰν, labiorum vestigia osculari. Exemplum vide in *Achille Tatio* Lib. II. pag. 81. aliud in *Luciani* dialogo Iunonis & Iouis, de ipso Deorum patre. Quin & modum, quo labris oscula imprimant amantes feminae, traditum inuenies a dicto Achille Lib. cit. p. 147. quem adeant, quorum interest. Magis conducit obseruare, dari osculum salu-

salutiferum, praetermissum illis, qui basia propinarunt. De S. Martino sequentia narrat *Sulpicius Seuerus* cap. XVIII. *Apud Parisios vero, dum portam ciuitatis illius, magnis secum turbis euntibus, introiret, leprosum miserabili facie, horrentibus cunctis, osculatus est, atque benedixit, statimque omni malo emundatus est.* Quam historiam subinnuit D. *Bernardus* sermone in festo S. Martini p. m. 255. de eodem Martino scribens, *leprosum mundauit osculo.* Nec dubito, mortem per osculum, qua obiisse Mosen, Aaronem atque Miriam Iudaei volunt, huc referre. Tu vero, mi bone Lector, qui Philologiam amas, in eius te sinum recipe, nec ab ore ipsius te vllo modo diuelli permitte. Memorem te esse iubeo eius, quod *Martianus Capella* Lib. II. col. 24. de Philologia, trium puellarum basia excipiente, refert. *Vna*, inquit, *deosculata Philologiae frontem, illic vbi pubem ciliorum discriminat glabellae medietas: alia os eius, tertia pectus adprehendit. Videlicet prima, vt*

— — — Laetos oculis adflaret honores:
Secunda gratiam eius linguae inspirabat:
animo tertia comitatem. At si te puellarum magis

magis capiunt basia, in Britanniam ire te volo, voluptati tuae satisfacturam. Et vt scias, quanta ibi speranda felicitas, audi *Erasmum Roterod.* epistola ad Faustum Andrelinum, Lib. V. p. m. 223. *Si Britanniae dotes satis pernosses, Fauste, nae tu alatis pedibus huc accurreres: & si podagra tua non sineret, Daedalum te fieri optares. Nam vt e plurimis quiddam attingam. Sunt hic Nymphae diuinis vultibus, blandae, faciles, & quas tu Iuis Camoenis facile anteponas. Est praeterea mos nunquam satis laudatus. Siue quo venias, omnium osculis exciperis: siue discedas aliquo, osculis dimitteris: redis, redduntur suauia: venitur ad te, propinantur suauia: discediturabs te, diuiduntur basia: occurritur alicubi, basiatur affatim, denique quocunque te moueas, suauiorum plena sunt omnia. Quae si tu, Fauste, gustasses semel, quam sint mollicula, quam fragrantia, profecto cuperes non decennium solum, vt Solon fecit, sed ad mortem vsque in Anglia peregrinari.* Quae non adposuissemus, nisi omnium temporum hominibus dandum aliquid esset; immo & dies caniculares quodam priuilegio gaudent, iocandi copiam faciente. Ego vero

vero cum Hercule sequar Diuam illam, quae habitu duro & graui vultu nil nisi sudores promittit atque pericula, at cum insigni praemio, Θεὸν γενέσθαι. Quare qui nunc sapere non incipiunt, Anticyras, per me licet, nauigent.

EPIST. AD ROMAN. VIII. 35.

Τίς ἡμᾶς χωρίσει ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ; Θλῖψις ἢ στενοχωρία, ἢ διωγμὸς, ἢ λιμὸς, ἢ γυμνότης, ἢ κίνδυνος, ἢ μάχαιρα;

Quis nos separabit a charitate Christi? num adflictio, num angustia, num persequutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius?

SVmmates quidam viri, litteris multis praediti, atque in commentandi opere frequentes, per ἀγάπην τοῦ Χριστοῦ, amorem quo nos complexus est Saluator, intelligunt: in quorum sententiam libentes concederemus, nisi aliud velle Apostolum nobis esset persuasum. Caritatem quippe puto indicari, qua nos diligere Deum debemus, his maxime de caussis. Primum, si de diuina natura loqueretur epistolae auctor, diceret pro-

profecto, τὶς θεὸν χωρίσει; at nunc de se piisque omnibus pronunciat fide plena: τὶς ἡμᾶς χωρίσει; Deinde, nullo prorsus modo ad summũ Numen referri queunt praedicata, fames, puta, nuditas, persequutio, periculum, alia; nam his mortales ab amore aduersus Deum haud raro auelli nouimus. Tum & vim amoris Dei erga nos antea descripserat, subiiciens nunc, quid a nobis exigatur, amor scilicet, nec ignes nec saxa metuens. Totius insuper orationis structura talem postulat sensum. Vnde ex Dauide ad Deum orante haec profert v. 36. ἕνεκά σε θανατούμεθα ὅλην τὴν ἡμέραν· ἐλογίσθημεν ὡς πρόβατα σφαγῆς. Quo fine vberiorem ℣. 38. seq. adornat catalogum aduersariorum ac discriminum, a constanti amatore Christi, virtute eius potenti, superandorum, sic vt nequeant ἡμᾶς χωρίσαι ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *nos* (non Deum) *separare ab amore, quo Deum diligimus in Christo Iesu.* Quare, quaeso, opus esset, tam copiose beneuolentiam Dei erga nos percensere, quam ne cogitando quidem adsequi valemus? Ieiuna omnino foret descriptio, si Dei in nos amorem, non vero nostrum erga illum depingere constituisset Apostolus. At nihil fortius nihil viuidius potuis-

potuisset dici de homi.ibus, quam eos tanto amore Dei captos esse, vt nulla inde vi diuelli possint; quod de Paulo inprimis & ei similibus, hoc est, magnis illis Christianae religionis confessoribus atque martyribus, pronunciandum. Nempe enim, vt Ioannes ait, φόβος οὐκ ἔστιν ἐν τῇ ἀγάπῃ, 1. Epist. IV. 18. vel vt *Achilles Tatius* Lib. II. p. 73. ἔρως δειλίας οὐκ ἀνέχεται. Veri amoris ea est potestas, vt aquae multae exstinguere nequeant, neque flumina inundare, Cantic. VIII. 7.

Non regi curat patiturque frenos,
Haud timet mortem, cupit ire in ipsos
Obuius enses.

Tali non pauci quondam amore Dei repletos se esse, testati sunt; nunc autem macies & noua febrium cohors terris incumbit. Ad extremum, ne quid in interpretatione nostra iure desiderare possis, debeo quaedam in medium adferre loca, vbi ἀγάπη τοῦ Θεοῦ, nostrum erga aeternam diuinamque naturam amorem designat. Sunt ea Luc. XI. 42. Ioan. V. 42. XV. 9. & in epist. priore II. 5. 15. III. 17. quae si non leuiter expenderis, sincerius exploratiusque opinionem nostram vel corriges vel probabis.

HOSEAE VIII. 6.

כי שבבים יהיה עגל שומרון:

Nam fragmenta erit vitulus Samariae.

Hieronymus, vir maxime catholicus, & sacrae legis peritissimus, quomodo a *Sulpicio Severo* dial. I. p. 396. vocatur, occasionem in sensum huius textus inquirendi subministrat, quem non modo ita conuertit: *quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariae*, verum etiam mirabilem addidit commentarium: *Nos ab Ebraeo didicimus* שבבים *proprie nominari aranearum fila per aerem volantia: quae dum videntur, intereunt, & in atomos atque in nihilum dissoluuntur.* Paulo post: *vt aranearum fila dissoluuntur in ventum: ita vitulus Samariae redigitur in nihilum.* Et ad comma septimum haec notat: *Aranearum telis Samariae vitulum comparat: idcireo metaphoram seruat in reliquis, vt quos aranearum telas dixerat, comparet vento & turbini culmisque non stantibus.* Quum plures in lingua Ebraea praeceptores habuerit Iudaeos veteris Ecclesiae rector sanctissimus, Tiberiensem scilicet quendam Docto-

Doctorem, de quo ipse epist. CVIII. item Lydaeum Rabi, de quo epist. CXIII. nec non Rabanum, quo de epist. LXV. & epist. IV. ad Rusticum, atque alios adhuc; difficile est indicare, nec scire forsan refert, quem hic indigitet. Diu in gratiam vtriusque de hoc vocis שבבים significatu dispeximus, quem tamen nondum inuenimus, nec, arbitror, aliquis post nos. Aranea sacris scriptoribus עכביש Iesi. LIX. 5. ac שממית Prouerb. XXX. 28. Talmudistis ממית vocatur, eiusque tela קורי עכביש in Iesaiae l.c. nuncupantur, prout à Chaldaeo קונן דעכביתא & a Magistris חומי שיל בוכיא Suppetunt plura nomina, quorum nullum cum nostro congruit. Neque adeo reliquae orientis linguae, quantum eas didicimus, simili vocabulo aut araneas aut earum tela insigniunt. Quare, quia nullis doctor Ebraeus modis praefulciuit illam notionem, nullisque argumentis conuelauit, fidem ei habere non possumus, neque Hieronymianam versionem sequi, quod insignem feciſſe *Grotium*, & quidem hunc solum, demiror. Videre mihi videor erroris fontem. Procul dubio pro שבבים vel legit Iudaeus, vel certe in animo habuit שכבים, *implexa* declarans *opera*, veluti

1. Reg. VII. 17. vbi de columnarum capitellis, ex florum frondium fructuumque iucundissimo implexu constructis, adhibetur, estque שבכה ea notatione vsitatissimum. De mirabili igitur aranearum textura, eleganter ab *Aeliano* Var. Hist. I. 2. depicta, vsurpari hoc vocabulum non incommode posset, quamuis nusquam ita occurrat. Etenim prout עכביש *aranea* inuerso nomine ex שבך *implexum esse*, oritur, recte obseruante *Bocharto* Hieroz. Part. I. Lib. I. cap. 9. col. 70. sic implexa eius retia, nomine ab eadem radice deriuato, imbuere quid prohibet? Similitudo vtique vocis שבבים & שבכים Iudaeum praeceptorem, credendi facilitas Hieronymum discipulum decepit; quibus tamen nos non credemus, ne si Aelii quidem, Cincii & Satyri sentiendum ita decernant. Potius שבבים *fragmenta* reddimus, ob rationes maxime, quas in pandectis Gussetianis deprehendes. Nil, arbitror, indicatur aliud, quam vitulos Samariae, id est, decem tribuum, nomine Samariae hic venientium, eodem fato esse delendos, quo Israelitarū aureus periit vitulus quem *igne combussit Moses* ויטחן עד אשר דק *commoluitque donec minutus esset, atque per aquam dispersit*, Exod. XXXII.

XXXII. 20. Non longe secus Iosias, de quo memoriae datum, 2. Paral. XXXIV. 4. quod *sculptilia ac fusibia fregerit comminueritque, etiamque sparserit per sepulcra eorum qui sacra fecerant illis*; quod v. 7. sculptilia כתת להרק *contuderit comminuendo*; nec aliter Iudas Maccabaeus, qui τὰ γλυπτὰ τῶν θεῶν κατέκαυσε πυρί, *sculptiles Deos exussit igne*, 1. Maccab. V. 68. Atque hoc est illud excidium, quod Vates passim idolis minantur. Sufficiat in praesentia vnicus Micha, qui sic Cap. I. 7. *Omnia sculptilia eius contundentur, omniaque donaria ipsius igne comburentur, omniaque simulacra ipsius ponam vastitatem.* Ita in nihilum dissoluentur idola gentium, in puluerem, fragmenta minutissima, in *atomos*, qua voce *Hieronymus* heic quoque vsus est, rectius omnino, quam *telis aranearum.* Esset profecto inconcinniter dictum, futura ex idolis aranearum tela, quippe quae nulla ratione inde enasci queunt; nec posset quid proferri insubidius. Immo nec vera praedixisset Hoseas, sacris atque veteribus memoriis comminuta quidem declarantibus terriculamenta, de conuersione autem in aranearum tela prorsus tacenti-

bus. Continuat eandem Propheta metaphoram, vt placet *Hieronymo*, non de araneis, quae illius mens est, sed de contusorum idolorum atomis fragmentisque per aerem dispergendis, cui simile Mosis atque Iosiae factum modo memorauimus. Tandem notandum, quod vti heic dicitur fieri debere vitulus שבבים *fragmenta*, sic praestigiatores & harioli apud Danielem II. 5. fieri הרמין *membra*, *frusta*. Vtrumque diuisionem in partes tenuissimas, vi factam, omnibusque numeris absolutam destructionem infert.

ACTOR. III. 21.

Ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων.

Vsque ad tempora restitutionis omnium.

Ammonius περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων differre scribit ἀπόδοσιν & ἀποκατάστασιν, sic vt illud de rebus etiam vita carentibus, hoc nonnisi de illa praeditis adhibeatur. Quae si heic adplicanda essent, post πάντων subaudire cogeremur ἀνθρώπων. Duas in praesentia vel tres seligemus notiones, vnde lux accedet loco. Ἀποκατάστασις vocabulum est forense;

rense; nam quod antiquis Atticis εἰς ἐμφανῶν κατάσασις audit, hoc Basilicorum auctores ἀποκαταστατικὴν ἀγωγὴν adpellant, obseruante *Maussaco* ad Harpocrationem v. εἰς ἐμφαν. κατασ. Est vero εἰς ἐμφανῶν κατάσασις, iuxta *Suidam*, actionis nomen, ὑπὲρ τῶ τὰ ἀμφισβητέμενα ἐν φανερῷ ποιῆσαι, *ad res controuersas in lucem producendas*, consentiente *Harpocratione*, rerumque ad curiam Graeciae antiquae spectantium scriptoribus omnibus. Vnde si quae furto erant ablata, in eamque rem, vel aliam quamcunque, occultam adhuc, inquirebatur, εἰς ἐμφανῶν κατάσασιν δίκη adpellabatur, eo quod abscondita conabantur iudices proferre εἰς τὲμφανές. Atque hoc pacto χρόνος ἀποκαταστάσεως πάντων, illud foret tempus, quo Deus φωτίσει τὰ κρυπτὰ τῶ σκότες, καὶ φανερώσει τὰς βυλὰς τῶν καρδιῶν, 1. Corinth. IV. 5. & quo πάντας ἡμᾶς φανερωθῆναι δεῖ ἔμπροσθεν τῶ Χρισῶ, 2. Corinth. V. 10. Est & ἀποκατάσασις vox militaris, ad pristinam corporis configurationem milites in exercitiis redire declarans. Phrasis bellica est εἰς ὀρθὴν ἀποδῶναι, *in rectum se dare*, imperans vultum militum εἰς τὴν καθεσῶταν ἐξ ἀρχῆς ἐπιφάνειαν κατασῆσαι, *in priorem locum vertere*; vt si quis in hostes conuersus, iubeatur inclinare in hastam,

deinde εἰς ὀρθὸν ἀποκαταστῆσαι, *dare se in rectū*, debet is rursum conuertere sese in hostem, quod exemplum proponit *Arrianus* in arte Tactica pag. m. 57. Infinita exstant cum apud eundem, tum alios Tacticos exempla, ex quibus vnicum, memorabile profecto, adferam. Exstat illud in *Aeliani* Tactic. cap. LIII. τὸ βάθος διπλασίαζε, ἀποκατάστησον. Τὸν λάκωνα ἑξέλισσε, ἀποκατάστησον. Τὸν μακεδόνα ἑξέλισσε, ἀποκατάστησον. Τὸν χορεῖον ἑξέλισσε, ἀποκατάστησον. Ἐπὶ δόρυ ἐπίστρεφε, ἀποκατάστησον. Ἐπὶ δόρυ περίσπα, ἀποκατάστησον. *Latitudinem duplica, restituere. Laconicam euolue, restituere. Macedonicam euolue, restituere. Choricam euolue, restituere. Hastam versus te conuerte, restituere. Ad hastam reflecte, restituere.* Ergo nunc sensus esset: venturam tandem laetam illam rerum faciem, vt post multa certamina difficillima in eum statum postliminio restituantur strenui veritatis milites, qualis erat Ecclesiae in orbe primo, vel eo adhuc meliorem. His adde, ἀποκαταστῆσαι de seruis libertate donatis vsurpari. Laertium sane de Xenocrate redemto a Demetrio Phalereo, qui eum pristinae libertati reddidit, vsum esse, notauit rerum Graecarum plurima atque varia scientia instructus *Henr. Valesius* notis in Maussaci adnotamenta

menta ad Harpocrat. pag. 110. b. De libertate parta restitutisque quae eo faciunt omnibus, ψήφισμα loquitur Byzantinorum, laudans Demosthenem, quod ἀποκατέστασε τὰν πάτριαν πολιτείαν, καὶ τὼς νόμως, καὶ τὼς τάφως, *restituerit patriam Rempublicam, leges & monumenta maiorum*, vti legimus in *Demosthenis* orat. pro corona pag. 325. C. Hoc Chersonesitae in suo decreto, ibidem pag. 326. init. legendo, his exprimunt verbis: ἀποδὲς τὰς πατρίδας, τὲς νόμες, τὴν ἐλευθερίαν, τὰ ἱερά, *restituta patria, legibus, libertate, sacris*. Et iam sunt omnia, post infelicem primorum parentum lapsum, sub seruitute. Verum accedente tempestate, quae heic promittitur, certo eueniet, vt & filii Dei & vniuersa cum illis creatura in libertatem vindicentur. Diserte Paulus Roman. VIII. 21. αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τῦ Θεῦ,

NVMEROR. XI. 5.

זכרנו את הדגה אשר נאכל במצרים חנם את הקשאים
ואת האבטחים ואת החציר ואת הבצלים
ואת השומים׃

Recordamur piscium, quos edebamus in Aegypto gratis, cucumerum & peponum & porrorum & ceparum & alliorum.

FErtilitatem Aegypti multis describere velle, nil aliud esset, quam Iliada post Homerum condere. Illam sibi in memoriam vocant Israelitae, vitam quam in ea vixerant pinguem atque lautam, cum praesenti misero statu contendentes. Sex nominant, quae ad palatum fuerint in Aegypto, inter quae nonnullae existunt voces, quae ex Faunorum & Aboriginum aeuo repetitae videri possint, adeo sunt obscure atque incertae. Nos hic LXX. Interpretum versionem sequemur, communemque Iudaeorum omnium expositionem, non tam de verbis quam re ipsa laboraturi. Aliquoties cogitaui, quare pisces, cucumeres, pepones, porra, cepas atque allia prae aliis commemorauerit Israelitica plebs. Tandem in men-

mentem venit, posse ista & in gulae delicias & foecunditatem adferentia humanis corporibus edulia commode distribui. Ad illas pertinent gratissimi saporis *cucumeres*, Graecis dicti σίκυοι vel σικυοὶ per translocationem elementorum ex Ebraeo קשאים quod nomen illis obtigit, מפני שהן קשין לגופו של אדם כחרבות *quia difficiles sunt ventri* ad concoquendum, *instar gladiorum*, iuxta Magistrorum pronunciatum in *Auoda Sara* fol. 11. a. & fol. 29. a. Hoc est quod in *Plinio* Lib. XIX. 5. ineunte legitur: *Viunt hausti in stomacho in posterum diem, nec perfici queunt in cibis.* Iam אבטיח *peponem* denotare, non modo commentatores ad h. l. vno testantur ore omnes, verum & *Maimonides* cum *Obadia de Bartenora* ad *Cilaim* I. 2. ad conuenientiam cum lingua Arabica prouocantes. Perquam apte cucumeribus iunguntur pepones, quandoquidem *Plinio* l. c. scribente, cucumeres *cum magnitudine excessere, pepones vocantur*, atque הקשות והמלפפון אינם כלאים זה בזה *cucumis & melopepo diuersi inter se haud sunt*, ex Magistrorum decreto in *Cilaim* loco dicto. Hinc in *Trumoth* III. 1. & VIII. 6. cucumeres ac pepones connectuntur. Atque his quidem

dem dulciſſimis ſuaviſſimisque epulis ad ſatietatem vsque ſe populus in Aegypto, vbi maxima proueniebant copia, ſic vt *gratis*, hoc eſt, viliſſimo pretio, emere licuerit, refercire conſueuerat. Ex foecundantium numero ſunt *piſces*, quorum cum multitudine copioſa proles in ſacris litteris ſaepe confertur. Neque tamen quoscunque piſces, ſed minutos duntaxat intelligere debemus, ſi ex Antecefforum opinione rem arbitrari voluerimus. Nam de piſciculis in *Abhoda Sara* fol. 29. a. profitentur, quod מפרין ומרבין גופו של אדם & generandi & nutriendi virtute corpora noſtra inſtruant. Hinc nata eſt Samuelem inter & Raf de hoc ipſo textu, in quo nunc deſudamus, controuerſia in Cod. *Ioma* fol. 75. a. altero veros piſces, altero ſcortationem intelligente. Quem velim locum legas ipſe; aut ſi tibi eius libri copia non eſt, adi *Wagenſeilium* ad Sotam p. 240. vbi tamen per errorem typographi citatur tractatus Talmudici folium 85. quod vtique emendandum. Quare & libidinis ſymbolum ſunt piſces, quod multis oſtendit infinitae lectionis Vir, neque Noribergae ſaltem ſuae, ſed totius litterati orbis aeternum ornamentum, *Chriſtoph. Arnoldus* in adnotatis

ad

ad Wagenseilianam Sotam pag. 1165. seqq. Succedunt *porri*. *Plinius* XIX. 6. pag. 360. *Laudatissimus*, inquit, *in Aegypto* porrus nascitur. Etiam *cepae* ibidem optimae, dulces, grandes, quae instar pomorum comedi queunt, multumque ad concoctionem faciunt, Graeciae cepis longe praestantiores, quemadmodum describuntur a *Sponio* itiner. Part. I. pag. 36. Quare non sine caussa in *Trumoth* II. 5. cepae מאכל פוליטיקין *esca Politicorum*, siue delicatulorum, itemque a Graecis *potus condimentum*, vocantur. Vide, si lubet, quae nos ad *Maimonidis* iura anni septimi & iubilaei pag. 36. s. olim commentati sumus. Denique *allium* additur, satis notum. Haec vero omnia, vt bulbosa pleraque, Venerem promouere, Medicorum filii ac naturalis historiae auctores fatentur. Vnicum adferam *Simeonem Sethi*, Antiochenum Medicum, cuius περὶ τροφῶν δυνάμεων syntagma Latinitate donauit *Lilius Gregor. Gyraldus*. Sic igitur ille de porro pag. 54. edit. Basil. 1538. θερμαίνει τὴν γονὴν, *semen genitale calefacit*, hoc est, vt *Dioscorides* Lib. II. cap. 179. pag. 119. effert: ἀφροδίσια παρορμᾷ, *Venerem stimulat*. De cepis ita fatur *Simeon* pag. 32. ἔστι δὲ (τὰ κρόμμυα) διχῃ-

διεγερτικὰ καὶ γονῆς γεννητικά, *lotium ciunt, semenque vitale gignunt.* Et de allio p. 68. ἀφροδισιαστικόν ἐστι, *ad Venerem incitat.* Subest igitur politica quaedam causſa, ob quam Iſraelitae apud Aegyptios degentes, hos tam frequenter deguſtarint cibos. Nimirum, quia nullibi magis quam in Aegypto premebantur, atque maſcula ſuboles omnis delebatur, cogitandum erat de perpetuis heredibus, dandaque numeroſae proli opera. Qua etiam ex ratione Iudaei hodieque cepas, allia, porros vbiuis manducant, non tam conſuetudine, quam ſtudio conſeruandae virilitatis. Ita ego ſuſpicor, nec quicquam definiens, nec admodum repugnans illis, qui ſolius ſaporis cauſſa fructus Aegyptiacos ab Iſraelitis ſumtos contendunt. Quo etiam pertineret חציר non *porrum*, ſed *lactucam* ex Arabiſmo inferens, quam illuſtris *Ludolfi* in appendice ad Hiſtor. Aethiop. ſecunda, diſſertationem de Locuſtis continente, pag. 27. eſſe coniecturam recordamur.

EPI-

EPISTOLA IACOBI I. 15.

Ἡ δὲ ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα ἀποκύει θάνατον.

Peccatum vero, quum consummatum fuerit, parit mortem.

NVllam inuenio causſam, quae nos cogat ἀποκύειν vel cum veteri interprete ac *Eraſmo Roterod.* atque *Iac. Capello* per *generare*, aut cum *Henr. Stephano* in Theſauri Tomo II. col. 487. itemque *Beza* & *Eraſ. Schmidio* per *gignere* interpretari, quorum illud ambiguum, hoc nimis generale, ac vtrique ſexui commune (ad modum Ebraei יָלַד) verbum eſt, quemadmodum Vir doctrina ſeria, & in diſciplinis, quaſi in praeſtigiis, mirificus, *Phil. Carolus* animaduerſionibus in Gellii Lib. III. cap. 16. pag. 231. docere poterit. *Parere* vero proprium eſt ſequiori ſexui, quamuis *Nonius Marcellus* cap. VI. col. 745. etiam de viris dici poſſe ſcribat. Qui integre & accurate loquuntur, ἀποκύειν vnice de feminis adhibent, ſenſu *foetum deponendi pariendiue*. Audi vel ſolum *Phlegontem Trallianum*, cuius haec ſunt mirabilium capite XXII. verba: Γαικίᾳ Ταύρᾳ, ἀνδρὸς στρατηγικοῦ, τῆς γυναικὸς θεράπαινα τῶν τετιμημένων,

μένων, ἀπεκύησε πίθηκον, *Raecii Tauri, viri praetorii, vxoris primaria ancilla, simiam enixa est.* Et cap. XXIV. Γυνὴ ἀπὸ πόλεως Τριδέντε τῆς Ἰταλίας, ἀπεκύησεν ὄφεις ἐσφαιρωμένους. *Mulier ex Tridento, vrbe Italiae, globi instar conuolutos partu in lucem edidit serpentes.* Iterum capite XXV. Ἐν Ῥώμῃ διπρόσωπόν τις ἀπεκύησεν ἔμβρυον. *Romae bicipitem foetum aliqua peperit.* Denique cap. XXIX. Καὶ ἑτέρα τις γυνὴ πέντε ἐνὶ τοκετῷ ἀπεκύησεν παῖδας. *Etiam alia mulier, quinque infantes simul vno partu edidit.* Optimae & eruditissimae Glossae veteres, quas H. Stephano debemus: Ἀποκυήσασα, *Enixa.* Ἀποκύησις, *Puerperium.* Ἀποκύω, *Enitor.* Et heic ἡ ἁμαρτία veluti mulier ab Apostolo introducitur, (quo habitu tam virtutes quam vitia à gentilibus delineantur) cui recte ἀποκύειν adscribas. Prout enim in hoc ipso commate de ἐπιθυμίᾳ dicitur, quod & in vtero gerat & pariat: sic de peccato idem omnino statuendum. Itaque τίκτειν & ἀποκύειν non hic modo, sed & in Phlegonte miscentur inuicem, quod assiduus lector facile animaduertet. At vero commate 18. ἀπεκύησεν nonnisi per *gignere* conuerti potest, eo quod de Deo, patre nostro, sit sermo; de quo eadem metaphora adhibetur,

qua

qua de se vsurpat Paulus epistola ad Galat. IV. 19. ὠδίνειν *parturire*, & qua Latinis *parere* idem valet ac comparare, acquirere; qua insuper τίκτειν vtuntur Graeci, de eo qui aliquid efficit & creat, cui vitam quasi atque animam inspirare existimatur. *Philo Byzantius* de Ioue Olympio ita fatur: Διὸς Κρόνος μὲν ἐν οὐρανῷ, Φειδίας δ' ἐν Ἤλιδι πατήρ ἐστιν· ὃν μὲν γὰρ ἀθάνατος φύσις ἐγέννησεν, ὃν δὲ Φειδίου χεῖρες μόναι δυνάμεναι θεὸς τίκτειν. *Iouis in coelo quidem Saturnus, in Elide vero Phidias pater est. Illum immortalis progenuit natura, hunc Phidiae manus, quae solae Deos parere possunt.* Elegantissime profecto Phidias & *pater* illius simulacri dicitur, & *peperisse* istud. Consule, mi bone Lector, doctissimi Graeci, *Leonis Allatii*, notas, plura huius metaphorae exempla suppeditaturas. Huc refero illud *Martialis* Lib. VIII. epigr. 24.

Qui fingit sacros auro vel marmore vultus
Non facit ille Deos, qui rogat, (alii, qui colit) ille facit.

Vbi *Deos facere*, tam ex auro vel marmore statuam erigere, quam cultum ei diuinum deferre notat, quod & obseruasse video V. C. *Io. Clericum* Art. Crit. Volumine primo

Part. II. Sect. I. cap. 15. §. 10. p. m. 449. seq. Diutius, quam constitueramus, ad paedagogorum subsellia sudauimus, quae nunc, ad finem properaturi, valere iubemus.

PSAL. CXXXIX. 9.

אשא כנפי שחר אשכנה באחרית ים׃

Si adsumerem alas aurorae, si habitarem in extremitate maris.

ITa vulgo conuertunt haec verba. Mallem: *si adprehenderem extrema aurorae*, aut *habitarē in extremitate occasus*. Quam interpretationem & *nexus* & *verba* non respuunt. Ad *illum* quod attinet, lege mihi quae antecesserunt omnia, perpetuam videbis rerum variarum oppositionem, sedendi nimirum & surgendi v. 2. itineris & acubitus v. 3. illius quod retro & ante est v. 5. eundi, quod hominibus, & volandi, quod auibus competit, v. 7. coeli & שאול loci, in terra imi v. 8. Necesse igitur est, vt hic etiam כנפי שחר *extrema aurorae* vel *orientis* respectum ad אחרית ים *extrema maris* vel *occidentis* habeant. Quin & in sequentibus idem obseruabis, dum v. 11. lux & tenebrae

brae &c. e regione ponuntur. De *verbis* non laborandum putamus, quandoquidem nouam significationem confingimus nullam. Quid enim magis vsitatum, quam נשא per *sumere*, *adsumere*, *adprehendere*, interpretari? Cui ignotum, כנף *alam*, *extremitatem* atque *oram* cuiuscunque rei, v. gr. vestimenti, terrae, &c. designare? Denique ים quis adeo rudis est, vt occidentales plagas denotare nesciat. Ista omnia docent lexica, clamant commentarii, inculcant Magistri. Vnde qui horum aliquid in dubium vocat,

Insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar
Bimuli, tremula patris dormientis in vlna.

Sic itaque sensum puto esse: *si* vel *oras auroraе* manu quasi *prehenderem*, vel, relicto oriente, nullum auxilium subministraturo, *habitaturus* concederem ad *extrema occasus*, tu tamen, mi Deus, vbiuis es. Adeo Iehouae plena sunt omnia.

I. EPIST. AD TIMOTH. II. 9.

Ὡσαύτως καὶ τὰς γυναῖκας ἐν καταστολῇ κοσμίῳ, μετὰ αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης κοσμεῖν ἑαυτὰς, μὴ ἐν πλέγμασιν, ἢ χρυσῷ, ἢ μαργαρίταις, ἢ ἱματισμῷ πολυτελεῖ.

Mulieres pariter amictu decente, cum verecundia & modestia ornare se se, non cincinnis, vel auro, vel margaritis, vel pretioso vestitu.

VLtima prioris libri obseruatio Paulum exhibuit rempublicam Christianorum adornantem, quae cum Graecorum institutis in non paucis congruat. Diximus, egisse Apostolum γυναικοκόσμον aliquem, diuersum tamen ab illis antiquis, atque γυναικῶν εὐκοσμίαν certis inclusisse regulis. Iam vltimam huius libri obseruationem eidem rei consecrabimus, paucis adhuc visuri, quam apte Apostolica mandata temporum istorum consuetudini opponantur,& quam mirifice cum ipsis gentilium saniorum, talem in sexu elegantiore luxum omnino abominantium, praeceptis consentiant. *Melissae*, mulieris Philosophae, ad Claretam epistola, non sine maxima voluptate a nobis lecta est,

est, quippe quae & vitam instruit salubriter, & genium feminarum veteris aeui idoneis pingit coloribus. Quare, quia non multum diuersa a D. Paulo praecipit, ad praesentisque textus integri, subsentiumque commatum illustrationem aptissima videtur, non dubitamus, quae huc pertinent, quamuis compluscula, adferre omnia. Sic illa: Χρὴ οὖν τὰν ΣΩΦΡΟΝΑ καὶ ἐλευθέραν τῷ κατὰ νόμον ἀνδρὶ ποττᾶ μὲν ΑΣΥΧΙΑι πεκαλλωπισμέναν, ἀλλὰ μὴ ΠΟΛΥΤΕΛΩΣ. Ἦμεν δὲ τᾶ ΕΣΘΑΤΙ λευκοείμονα καὶ καθάριον κ' ἀφελῆ, ἀλλὰ μὴ ΠΟΛΥΤΕΛΗ καὶ περισσάν. Παρσαιτητέον γὰρ αὐτὰν τὰν διαυγῆ κ' διαπόρφυρον, κ' τὰ ΧΡΥΣΟΠΑΣΤΑ τῶν ἐνδυμάτων. Ταῖς ἑτέραις γὰρ ταδε χρήσιμα πόταν τῶν πλειόνων θήραν. Τᾶς δε ποθ' ἕνα τὸν ἴδιον ἐυαρεσκάσας γυναικὸς ΚΟΣΜΟΣ ὁ τρόπος πέλει, καὶ κ' οὐχ αἱ ΣΤΟΛΑΙ. Εὔμοιρον γὰρ τὰν ἐλευθέραν ἡδέσθαι τῷ αὐτᾶς ἀνδρὶ, ἀλλ' ἔ τοῖς πλησίον. Ἔχοις δ' ἂν ἐπὶ τᾶς ὄψιος ἐρύθημα μὲν σαμεῖον ΑΙΔΟΤΣ ἀντὶ φύκεος, ΚΑΛΟΚΑΓΑΘΙΑΝ (Apostolus v. 10. ἔργα ἀγαθὰ nominat) δὲ καὶ ΚΟΣΜΙΟΤΗΤΑ καὶ ΣΩΦΡΟΣΥΝΑΝ ἀντὶ ΧΡΥΣΩ καὶ σμαράγδω. Ἐ γὰρ ἐς τὰν τᾶς ΕΣΘΑΤΟΣ ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ φιλοκαλεῖν δεῖ τὰν γλιχομέναν τᾶς ΣΩΦΡΟΣΥΝΑΣ, ἀλλ' ἐις τὰν οἰκονομίαν τᾶ ὄικω. *Io. Arcerius Theodoretus* transtulit: *Oportet igitur modestam & liberam coniugem accurate cum silentio viro legitimo, verum non sumptuose comtam ornatamque esse. Decet*

autem eam esse veste candida amictam mundamque & simplicem, at non sumptuosam nimisque luxuriantem. Vitare enim debet illa pellucida & subpurpurea, itemque auro intertexta vestimenta. Illa namque meretricibus ex vsu sunt, vt plures ad se pelliciant. Illius vero feminae, quae vni viro suo placere studet, mundus & ornatus sunt mores, non autem vestes. Valde quippe pulcrum est, feminam liberam suo ipsius marito oblectari, non autem aliis. Argumentum vero habeas fuci loco in facie rubore: (vid. *Menagius* de mulieribus Philosophis num. 109. vbi plura de hoc virtutis rubro colore) *honestatem & modestam venustatem ac temperantiam loco auri & fulgentium smaragdorum. Non enim in luxum profusionemque vestis eam, quae moderationis & castimoniae amans est, elegantiae esse studiosam conuenit, sed in domus & rei familiaris dispensationem elegantem esse addecet.* Quibus gemina occurrunt apud innumeros. Vnicum ad extremum audiamus *Naumachium*, ita canentem:

Μὴ σύ ποτε χρυσῷ περιμαίνεο, μήτ' ἐπὶ δειρῇς
Πορφυρέην ὑάκινθον ἔχοις, ἢ χλωρὸν ἴασπιν,
Τοῖς ἐπὶ φυσίωσι δαλίφρονες· ἀλλὰ σὺ κόσμῳ,

Παῖς

Παρθένε, τηϋσίȣ μὴ δεύεο, μηδὲ κατόπτρῳ
Χειρὶ διακρίνȣσα τεὴν ἀυγάζεο μορφὴν,
Μηδὲ κόμης περίαλλα πολυσχιδέας πλέκε σειρὰς,
Μηδὲ μέλαινε τεοῖσιν ὑπὸ βλεφάροισιν ὀπωπάς.

Hoc est, *Sim. Vallamberto* interprete:

Auro ne studeas nimium, neque lactea colla
Purpureiue hyacinthi onerent, viridis vel iaspis,
Ista, quibus nimis incumbit gens nescia recti.
Tu vero virgo nugalem despice mundum,
Nec speculo manibus discernens inspice formam,
Sed neque multiplices nodis intexe capillos:
Lumina nec cingant falso nigrantia malae.

Tandem libello coronidem adpingimus, & vetus oraculum:

Ἰδὼν τὸ τέρμα, τῷ Θεῷ χάριν δίδȣ.



ADDEN-

ADDENDA.

Ad pag. 3. & finem obseruationis primae adde.

NVnc demum penitus mihi persuasum est, quod tunc suspicabar, locum scilicet *Stobaei* vitio non carere, siquidem pro Ἀφάϛαντες meo periculo legas velim Ἀτάλαντες. Itaque non solus *Damascenus*, sed longe plures Atlantum, Africae populi, meminerunt. *Plinius* eadem tradit Lib. V. c. 8. *Atlantes degeneres sunt humani ritus, si credimus. Nam neque nominum vllorum inter eos appellatio est, & solem orientem occidentemque dira imprecatione contuentur, vt exitialem ipsis agrisque.* Consentiunt *Solinus* cap. 31. *Herodotus* Lib. IV. & *Pompon. Mela.* Hos inter id discriminis intercedit, quod tam solis ortum quam occasum diris excipere illi testentur: *Nicolaus* vero *Damascenus* de oriente tantum sole, quod & Iobi verbis magis congruum est, loquatur. Item, quod exsecrationis illius causas proferant alias, ab ea quam *Nicolaus* habet

habet diuersas, cui tamen mens Iobi congruere videtur. Prout enim Atlantes exsecrabantur solem, tanquam multa mala in lucem proferentem; sic noctem illam, qua natus sit, diris deuouendam pronunciat Iobus, eo quod se in lucem protruserit, maximae calamitatis & summae miseriae exemplum. Quod itaque Apharantibus nuper adscripsimus, tribuendum posthac erit Atlantibus, genti, licet remotiori a Iobo, non tamen incognitae, quippe quae vel solo detestando isto facto in tot antiquorum scriptorum monumentis adhuc viuit. Neque vllam reperio caussam, quare Atlantas innuisse Iobum negare velimus, quod quidem facere video *Vrsinum* Analect. Sacr. Part. I. Lib. VI. 36. quum non alia temere inueniatur natio, de qua memoriae id datum legatur. Laus potius debetur *Pinedae*, quod solus, quantum nobis constat, istam Africanam gentem indigitasse Iobum animaduerterit; cuius proinde obseruationem ex merito complexus est *Tirinus*. Ohe! mi bone Lector. Nondum te dimitto. Forte fortuna *Salmasii* Exercitt. Plinianas euoluo, quarum Tomo I. pag. 410. vir in veterum litterarum tractatione atque cura ad miraculum vsque

exercitus, de Atlantibus agit, atque in nostro *Stobaei* loco pro Ἀφάεντες legendum sancit Ἀτάραντες, quomodo a *Stephano* vocari Atlantes indicat. Gratulamur sane nobis, quod coniectura nostra tam prope accesserit ad hominis in omnium bonarum artium disciplinis egregii, memoriarumque antiquarum exsequentissimi, emendationem, quam nostrae praeferendam esse ingenue confitemur. Tandem, ad sacri textus illustrationem refero aliud exemplum hominis, qui diei & soli gratias egit, nocti autem, & quidem pudenda ex caussa, succensuit. Est is Critobulus, cuius haec sunt propria in *Xenophontis* symposio pag. m. 882. D. verba: ἄχθομαί τε καὶ νυκτὶ καὶ ὕπνῳ, ὅτι ἐκεῖνον οὐχ ὁρῶ· ἡμέρᾳ δὲ καὶ Ἡλίῳ τὴν μεγίστην χάριν οἶδα, ὅτι μοι Κλεινίαν ἀναφαίνουσιν. *Iraſcor etiam nocti ſomnoque, quod illum* (dilectiſſimum Cliniam tunc) *non contempler; ſed diei atque ſoli maximam perſoluo gratiam, quod Cliniam mihi videndum exhibeant.*

Ad pag. 5. verſ. 12. poſt *ſtuduerit*, adde. Pariter ignoro, quid in animo fuerit *I. Caſaubono*, doctiſſimo viro & in penſitandis intelligendisque veteribus ſcriptis optime callido, ad Ioannis XIV. 23. ſcribenti: legi in hoc noſtro loco ἐισῆλθον εἰς τὴν Λυδίαν *manifeſtiſſi-*

festissime pro εἰσῆλθον πρὸς Λυδίαν, *vel* εἰς οἶκον Λυδίας, quae quidem, si sensum attendas, rectissime se habent; sin vocabulorum emendationem instituendam, quae viri summi mens fuit, existimes, insigniter erras. Nihil dicam de aliis, tanta celebritatis fama haud conspicuis, qui aut loco mouendum hoc dicendi genus, aut ignorabilius obscuriusque vsurpatum contendunt; quum tamen &c.

Ad pag. 7. versu 19. post *accedunt*, adde.

Conferre heic licet Romanos. Prout enim Graecis εἰσελθεῖν εἴς τινα idem est ac ingredi cuiusdam domum, atque in hac cum aliquo colloqui: sic Latini *introire ad aliquem*, *exire & egredi a quopiam*, pari significatione adhibent. *Terentius* Hecyr. Act. IV. Sc. 1. v. 35.

Audisti ex aliquo fortasse, qui vidisse eum diceret
Exeuntem ac introeuntem ad amicam.

Et in Phorm. Act. V. Sc. 1. v. 5.

Nam quae haec anus est exanimata? a fratre quae egressa est meo.

vbi vide *Donatum*. Rursus in Hecyra Act. V. Sc. 3. v. 8.

—— —— *sed quid Bacchidem*
Ab nostro adfine exeuntem video?

Ad pag. 12. versu 9. post, *& inde Plinius XIV.* 5. adde.

Hinc vinum Genes. XLIX. 11. דם ענבים & a LXX. Interpretibus αἷμα σταφυλῆς. *sanguis vuarum*, vocatur. Denuo apud Mosen in Deuteron. XXXII. 14. דם ענב vbi iterum LXX. αἷμα σταφυλῆς reddunt, quod & in 1. Maccab. VI. 34. inuenies.

Ad pag. 33. vers. 16. post *restiterint*, adde.

Fauere aliquantulũ opinioni meae *Lightfootum* Hor. Ebr. ad Luc. III. 36. pag. 507. gaudeo, cuius proinde verba adferam integra. *Cum Apostolus*, inquit, *vocat Magos Aegyptios*, Iannen & Iambrem, 2. *Timoth. III.* 8. *non pro certo tradit, aut fide sua spondet, nomina istorum ista fuisse, sed allegat tantum dicta & tradita ab aliis, vulgarem scilicet traditionem gentis*, Timotheo *satis notam, & de qua nec ille nec quiuis alius mouere vellet litem.* Illa vero vulgaris traditio, nonne ex male intellecta prouerbiali locutione originem trahere potuit?

Ad pag. 53. vers. 16. post *Matth. III.* 3. *&c.* adde.

Est & gaudii signum, reserare ianuas. *Catul-*

Catullus in epithal. Iuliae & Mallii.

Clauſtra pandite ianuae,
Virgo adeſt.

Quare ob Meſſiae aduentum laetitia futura praedicitur genuina & intima, atque in ipſo penetrali cordis & animae vigens, qualis illa fuit, qua vrbem ingredientem excipiebant Matth. XXI. & qua Iudaei hodieque ad famam accedentis Pſeudo-Meſſiae perfundi ſeſe ſentiunt.

Ad pag. 68. verſu 18. poſt *Iacobo gratiam*, adde.

Cui ſimile quid video illuſtrem virum *Ezech. Spanhemium* ad Callimach. pag. 485. ſ. obſeruaſſe. In Delum nempe quondam, ab omnibus propemodum mundi angulis ad ſacra Apollinis, veluti communis Dei, primitias atque decimas miſſas fuiſſe, prout a Iudaeis Hieroſolymas. Dignus eſt, qui euoluatur attentoque animo legatur *Spanhemius*; adeo docte ac copioſe eleganterque rem pertractat totam.

Ad pag. 104. verſ. 3. a fine, poſt *celebri*, adde.

Et Lib. IX. 3. ineunte: *Philippus Amynthae filius*, TERRAE MACEDONIAE *rex*. Et capite ſeq. *Eſſe quasdam in* TERRA

AFRICA *hominum familias voce atque lingua effascinantium.* Paulo post: *Item esse in montibus* TERRAE INDIAE *homines caninis capitibus.*

Ad pag. 112. post finem observationis adde.

Aliam adhuc verborum: Τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; expositionem Tecum nunc communem faciam. Adhibet forsan D. Apostolus illud σχῆμα λέξεως, quod Rhetores ἀντανάκλασιν nominant, definientes cum *Quintiliano* per *eiusdem verbi contrariam significationem*, in loco scilicet, quod addendum, vicino, eademque sermonis consecutione. Illius exempla, praeter oratoriae artis magistros, suppeditant *Clericus* Art. Crit. Volum. I. Part. II. Sect. 1. cap. 6. §. 13. p. m. 293. s. & *Hammondus* ad Matth. VIII. 22. ex ipsis diuinorum auctorum monumentis depromta. Itaque prius νεκροὶ spirituali, posterius νεκροὶ naturali modo defunctos vita declarat. Locus est maxime geminus in Matthaeo VIII. 22. ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς, vbi τοὺς νεκροὺς priore in loco positum, optime Graeci, *Camerario* teste, interpretantur τοὺς ἀπίστους. Neque enim ab vsu recedit, eos qui a vera

vera disciplina alieni sunt, *mortuos* adpellare, vt magnus *H. Grotius* ad h. l. comprobauit. Est igitur βαπτίζεσθαι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, pro infidelibus, atque a Christo longe adhuc remotis, & vita sanctiore carentibus hominibus, extrema subire pericula, nec ipsam horrere mortem. Quod factum nouimus ab Apostolis, ob veritatis denunciationem toties caesis, vrbe eiectis, miserrime vexatis, tandemque neci traditis. Cogitare debes, Paulum heic de se verba facere, qui alibi optabat esse ἀνάθεμα ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν, & de sui similibus, idque in persona tertia per modestiam, vti 2. Corinth. XII. 2. 3. 4. vbi mox v. 5. palam se nominat. Atque sic plane nunc etiam loquitur. Ideo v. 30. addit: τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν πᾶσαν ὥραν; omnes, eadem secum mente adfectos, includens: & v. 31. de se solo fatur: καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω, hoc est, indies mori paratus sum, vt aliquos etiam ἀνόμους lucrer, 1. Corinth. IX. 21. Quo ipso luculenter ostendit, immane quantum se distare ab illorum haeresi, qui vix mortem oppetere sustineant ὑπὲρ δικαίου, Roman. V. 7. Nunc sensum Apostoli talem esse concludimus. Quare in gratiam eorum, quos ad salutis viam, ad rationes

nes

nes bonae inculpataeque indolis ducere annitimur, tot nos discriminibus subiiceremus, nec vitae parceremus nostrae, si tamen nec *spiritualiter*, nec *naturaliter* mortui, id est, plane nulli, resurrecturi sunt? Ceterum hanc nobis expositionem prae illa, quam primum dedimus, probari, minime diffitemur.

EMENDANDA.

Pag. 32. versu 14. dele *tam.*
--- 60 --- 15. lege *sentient.*
--- 83 --- 3. a fine lege *neglecta.*
--- 84 --- 6. lege *Eusebii.*
--- 107 --- 1. & 2. lege *puniceam & caeruleam.*
--- 138 --- 17. lege *obscurae.*
--- 141 --- 5. a fine lege θερμαλνει.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046377140/phys_0174
DFG

II, 4 b 4.77
82
III, 77108 nb.
133.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1046377140/phys_0175
DFG

ud συνεβράσθη ſpuri-
ndumque vel cum
odicibus ἐξεβράσθη,
η, συνεξεβράσθη, ſer-
.

Lucianus de ſal-
ag. 816. ἀλλὰ τόγε
ήνει τῷ Αἰακῷ.

ɔmprimo, vna pre-
oniates fragmento
igni traditis poſt
Polin, inſerto a ce-
ɔ biblioth. Graecae
. ᾤδειο δὲ τὸ μὲν βασι-
ίδα τὸ συμμαρτόμε-
redebatur alterum
rum, quod in ore
erebat, aſpis.

fero. *Baſilius M.*
ag. 276. memorat
nera, quae συμμε-
λέξασι, *facile trans-*
cum iis, qui ea-

Συμ-